COMMENTATIONES TVLLIANAE

DE CICERONIS EPISTVLIS AD BRVTVM AD QVINTVM FRATREM AD ATTICVM QVAESTIONES

SCRIPSIT

H. SJÖGREN

ACCEDVNT DVAE TABVLAE PHOTOTYPICE EXPRESSAE

LIBER LEGATI EKMANIANI SUMPTIBUS EDITUS

UPPSALA
ALMQVIST & WIKSELL

LEIPZIG
RUDOLF HAUPT

DIVENDENDUM CURANT

UPSALIAE 1910
TYPIS DESCRIPSERUNT ALMQVIST & WIKSELL

Praefatio.

Epistulas Ciceronis inter cetera scripta Arpinatis illius, quae ad nostram aetatem manserunt, excellere atque eminere nemo negabit, qui in illum quasi thesaurum ingressus, quae ibi recondita sint, aspexerit: sunt enim illorum temporum contexta quaedam historia, ipsum vero quasi praesentem videmus, cum ipso familiariter vivimus.

Atque earum epistularum, quas familiares mos fuit appellare, editionem apparatu critico instructam habemus; earum vero, quae illo nomine digniores sunt, epistularum ad Brutum, ad Quintum fratrem, ad Atticum, quae omnium iudicio multo etiam magis probantur, neque exstat editio critica neque adhuc potuit perfici. Nempe nullius codicis collationem plenam habemus nisi Medicei illius celeberrimi, neque eam satis accuratam; qui quanti aestimandus sit, quaeve ratio inter eum codicem intercedat et alios, qui nunc sunt aut olim fuerunt, magna est inter viros doctos dissensio. Sunt, qui censeant, esse codices, qui sui iuris sint neque Mediceo inferiores; aliis persuasum est, illos libros contaminatos esse et coniecturarum interpolationumque sordibus inquinatos, Mediceum tamquam fundamentum rei criticae ponendum esse. Sed et codicibus amissis, quibus veteres editores usos esse accepimus, quantum tribuendum sit ambigitur. Omnia igitur incerta sunt et coniecturarum plena: neque enim constat, quid codices praebeant, neque de ratione recensendi consentiunt editores.

Quae cum ita sint, res digna videtur, in quam denuo inquiratur. In qua cognoscenda exempla ex epistulis ad Brutum et ad Quintum fratrem exque libris ad Atticum I—VIII collegi, quoniam priorum librorum plures integri manent codices quam

posteriorum. Ipsam quaestionem autem ita instituere et componere aptum visum est, ut in prima operis parte de ratione codicum disputarem, in altera annotationes quasdam criticas adiungerem, sed tamen ita, ut in priore quoque parte de non nullorum locorum scriptura disceptarem, qui ad cognationem codicum atque auctoritatem explicandam valere viderentur. Totam vero disputationem quasi prolusionem quandam ac meditationem velim esse editionis apparatu critico instructae, cuius primus fasciculus epistularum ad Brutum librum IX continebit.

Scribebam Upsaliae prid. Non. Mai. MCCCCX.

Index siglorum.

Codices Italici:

E = cod. Ambrosianus E 14 inf.
G = cod. Parisinus ('Nouv. Fonds') 16248.
H = cod. Landianus (in bibliotheca Placentina) 8.
N = cod. Laurentianus Conv. Suppr. 49.
O = cod. Taurinensis olim J. V. 34, nunc Lat. 495.
P = cod. Parisinus 8536.
Pal. = cod. Palatinus (in bibliotheca Vaticana) 1510.
Rav. = cod. Ravennas (in bibliotheca Classensi) 137, 4, 2.

Σ = consensus codicum EGHNOPPal.Rav. aut omnium aut plurimorum; in quo numero etiam Ant. = cod. Antonianus, et F = codex Faërni, quibus Malaspina usus est, ponendi sunt.

M = cod. Mediceus plut. XLIX : 18. — Correctiones variis manibus (M^2, M^3, M^4) ascriptae sunt; ubi res dubia videbatur, M corr. (i. e. M correctus vel Medicei corrector) scribendum putavi.
b = cod. Berolinensis (ex bibliotheca Hamiltoniana) 168.
d = cod. Laurentianus (ex bibliotheca aedilium) 217.
m = cod. Berolinensis (ex bibliotheca Hamiltoniana) 166.
s = cod. Urbinas (in bibliotheca Vaticana) 322.

Δ = consensus codicum Mbdms.

Ω = consensus codicum Σ et Δ = archetypum codicum Italicorum.

Codices Germanici et Gallici:

C = lectiones in margine editionis Cratandrinae positae.
W = cod. Wurceburgensis.
Z = cod. Tornesianus.

Y = archetypum codicum Germanicorum et Gallicorum CWZ.

Iens. = editio Iensoniana princeps (Venetiis 1470). — Rom. = editio Romana princeps (Romae 1470).
Crat. vel c = editio Cratandrina (Basileae 1528).

Lehmannus Att. = De Ciceronis ad Atticum epistulis recensendis et emendandis. Scripsit C. A. Lehmann. Berolini MDCCCLXXXXII.
Schmidtius 'Briefwechsel' = Der Briefwechsel des M. Tullius Cicero, von Otto Eduard Schmidt. Leipzig 1893.
Schmidtius 'Überlieferung' = Die handschriftliche Überlieferung der Briefe Ciceros an Atticus, Q. Cicero, M. Brutus in Italien von Otto Eduard Schmidt. Leipzig 1887.

Continet hic liber:

PARS PRIOR

DE CODICVM RATIONE

Cap. I. De codicibus Italicis (cisalpinis) Ω.

Ex eis, quae viri eruditi de universa natura codicum indagarunt, quibus nobis traditae sunt epp. ad Brutum, ad Quintum fr., ad Atticum, hoc apparet, libros manu scriptos, prout ex Italia aut ex Gallia et Germania oriundi sunt, in duas quasi familias discedere, quas cisalpinam et transalpinam appellare commodum est notisque Ω et Υ, ut assolet, designare. Primum igitur de familia Italica (cisalpina) agendum nobis erit.

1. De classibus Σ et Δ universe disputatur.

In codicibus Italicis perscrutandis cum alii multi versati sunt tum vero nostra aetate operae plurimum studiique consumpsit Carolus Lehmannus, vir eruditissimus idemque prudentissimus. Is sibi visus est duas classes dinoscere ac propriis inter se notis discernere, unam multorum librorum et Medicei similium (Δ), alteram paucorum et a Mediceo discrepantium EHNOPR (Ant. F Rav.) = Σ, cfr Att. p. 45 sqq., 134, 155 sq., 181 sqq. Quam distinctionem ratione et via factam esse rebusque ipsis confirmari, nemini non probavit; de hac re summa est inter homines doctos controversia, utrique classi quantum tribuendum sit quantive fides et auctoritas Medicei aestimanda. De qua re cum infra disputandum sit, nunc satis erit ad ea, quae Lehmannus l. l. attulit, pauca addidisse.

E codicibus EHNOPR ut duorum, Taurinensis O et Parisini R, rationem non habui et quidem eas ob causas, quas p. 4 sqq. afferam, ita alios duos ad eandem prosapiam pertinentes sed Lehmanno ignotos contuli, Paris. 16248 (G) et Pal. 1510 (Pal.). Σ igitur in hoc opere nota erit consensus codicum EGHNP Pal. (Ant. F Rav.).

Mediceum (M) ut diligentius examinaret, Lehmanno non contigit; ex aliis libris manu scriptis cum illo quasi propinqua cognatione coniunctis multos inspexit, unum contulit, Urb. 322 (s). Apud Lehmannum igitur Δ designat consensum codicum M et s. Equidem non solum M et s examinavi sed etiam alios libros consimiles comparandos putavi, quo veriorem classis Δ speciem animo caperemus. Contuli igitur Berol.-Ham. 168 (b), 166 (m), Laur. ex bibl. aed. 217 (d); qui cum omnibus locis, quos Lehmannus Att. pp. 45 sqq., 134, 155 sq. attulit, a Σ discrepent, cum Ms conspirent, in Δ ponendi sunt. Δ igitur est = Mbdms.

Ac ne alienis tantum vestigiis insistam, aliquot hic exempla de nostro deprompta subiungam (priore loco lectiones classis Σ posui, posteriore familiae Δ):

ad Brut. I: 1[1] *a me* Σ : *et a me* Δ. 2a[2] *senatus* : *senati.* 14[1] *elaboravi* : *laboravi* (in M *e* add. corr.).

ad Quint fr. I: 1[5] *impetum fortunae* Σ (— H)[1]: *fortunae impetum* Δ. 2[4] *sum complexus* : *complexus sum.* [16] *alios sed hos singulares* Σ (— E): *alios singulares* Δ. 3[2] *vivo me careres* : *me vivo careres.* II: 1[1] *pretorii* Σ (— E) : *praetor* Δ. *perorata* : *sero perorata.* 4[6] *ei tres* Σ (— E) : *et tres* Δ. 12[2] *maximae vero mihi curae* : *maximae mihi vero curae.* 13[1] *Placentia* : *Placentiae.* [2] *vincet unus amor* : *vincet tuus amor* (M[3] *unus* superscrips.; post del.). III: 1[13] *scripsisti* Σ (— E) : *scribis isti* Δ (corr. M[3]). 56[4] *equidem me* : *me equidem.* 8[1] *petebamus* (sed *petabamus* Pal.) : *putabamus.* — *quam petimus* : *quam in pecuniis.* — *reserventur* ΣM[3] (sed del.) : *serventur* Δ (sed *struentur* m). 9[3] *in publica* : *in re publica.*

ad Att. I: 1[4] *ne contra* Σ (— E) : om. Δ. 5[2] *fuerit* : *fuerat.* [6] *usu capi posse* Σ (— E) M[3] : *usucepisse* Δ. 13[2] *nihil metuas mali* : *nihil speres mali.* 14[4] *tecto* ΣM[3] : *tecte* Δ. 17[9] *liberalissimo* (vel *-atissimo*) ΣM[3] : *libentissimo.* 20[7] *labore* Σ : om. Δ.

II: 1[5] *deduceremus* : *deducerem is.* 5[1] *tectum* Σ (— E) M[3] (del.) : *tecum* Δ. 7[4] *ereptis* ΣM[3] : *receptis* Δ. 13[2] *qui fremitus* : *qui infremitus* (sed bd *qui infirmitus*). 24[3] *consuli sibi* : *consulis sibi.* [4] *quam oratio* Σ (sed *qua oratio* N) : *qu(a)e oratio* Δ.

III: 15[2] *simulationem aliorum* ΣM[3] (del.) M[4] : *simulationem malorum* Δ. 20[1] *in mentem venire* : *venire in mentem.* 24[1] *Antea quom* (*cum*) : *Antea quam* (corr. M[3]).

IV: 3[3] *et haec* : *haec.* — *discessi* : *discessimus.* — *constantia vite tue verissimae* NP Pal. Rav. Ant. : *constantia virtute verissimae* Δ.

---

[1] Ubicumque E vel H vel GH deficiunt, notas illas cancellis inclusi addito —; ubi plures desunt, reliquos codices sua quemque nota designavi.

16^{3} *commodum* Σ (— GH) : *consonum* Δ. 18^{2} *fers id* Σ (sed *fert* N, *fer* GH) : *ferri id* Δ.

V: 9^{1} *facio* GHNP : *faciam* Δ. 10^{1} XVI Σ (— E) : XV Δ. 20^{3} *accessit* ENP : *cessit* Δ. ^{4} *eiusdem* ENP : *eius dein* Δ. 21^{12} *ad nummum* NP : *nummum* Δ.

VI: 1^{5} *illam* NP : *ullam* Δ. ^{13} *valde se honeste* NP : *valde honeste* Δ. ^{18} *potest* NP : *post* Δ. 2^{10} *huc quaestorem* HNP : *quaestorem huc* Δ (sed *huc* om. s). 3^{9} *ne quid eum* HNP : *ne quidem eum* Δ. 7^{2} *quaeso mihi* HNP : *mihi quaeso* Δ.

VII: 1^{2} *ego in* EHNP : *in* Δ. *effeci* EHNP : *feci et* Δ. 8^{2} *tua quadam* HNP : *quadam tua* Δ. ^{3} *nomen mutare* HNP : *mutare nomen* Δ. 23^{3} *nisi quid eiusmodi fuerit* EP : *nisi quid eius fuerit* Δ.

VIII: 1^{3} *a bonis* EP : *ab omnibus* Δ. 9^{2} *ne ego* EP : *nec ego* Δ. 11^{2} *in Italiam armatas* EP : *armatas in Italiam* Δ. ^{7} *missum* EP : *missum scio* Δ. 12^{3} *quod te video* EP : *quod video te* Δ. 15 A^{2} *satis me* EP : *me satis* Δ.

Sed satis iam exemplorum est; quae qui perlustraverit quaeque a Lehmanno perscripta sunt, haec duo continuo perspiciat necesse est, EGHNP Pal. = Σ ab Mbdms = Δ seiungendos neque tamen maiores esse discrepantias, quam ut ab uno et eodem fonte Ω repetendi esse videantur. Hoc ideo tenendum est, quia O. E. Schmidtius codicum HN nulla ratione habita EORP tantum in Σ ponendos arbitratur ('Briefwechsel' p. 447 [1]) ea opinor causa adductus, quod H aliquot lectiones cum Δ communes habet (Att. p. 162), H et N artiore quodam propinquitatis vinculo coniuncti esse videntur (l. l. p. 143 sqq.); de qua re infra uberius agam. — Quod si quis miratur, me testimoniis duorum (EP, NP) vel trium (HNP) codicum superstitum tantum tribuisse, ut pro tota familia Σ sint — in E enim multa desunt, G inde a libro ad Att. VI: 1, NH ab extremo libro VII deficiunt, in Pal. quoque multa perierunt, — id quo iure factum sit, magis apparebit, si codices EGHNP Pal. qua inter se cognatione contineantur, reputaverimus.

2. De codicibus ad classem Σ pertinentibus.

Etiam inter codices eiusdem prosapiae discrimen intercedere inveniet, si quis rem diligentius inspexerit. Velut Lehmannus

[1] Verba ipsius haec sunt: 'Der Archetypus von EORP — NH lasse ich hier absichtlich aus dem Spiele — war eine . . . kontaminierte Handschrift'.

Att. p. 151 sqq. ostendit, PR cum F, Ant. et Rav. cum O coniungendos esse, quos omnes ab eodem parente Φ nunc amisso profectos esse veri simile est; contra H et N = Π affines esse cum alia documento sunt tum communes quidam errores, cf Att. p. 143 sqq. Quae omnia ut oculis et sensibus subiceret, l. l. p. 133 hoc fere stemma constituit:



Petrarchae quoque apographon in Σ ponendum esse l. l. p. 163 sqq. multis locis examinatis conclusit, etsi dubium videtur, qui stemmatis locus illi codici nunc deperdito tribuendus sit. — Primum igitur

A. Codices Φ

quales sint consideremus.

a. De *Antoniano* et *codice Faerni* deperditis ea comperta habemus, quae Malaespina in emendationibus suis (Ven. 1563) memoriae prodidit; de quibus cum accurate, ut solitus est, disputaverit Lehmannus Att. p. 12 sqq., 153 sq., amplius quod additum velim nihil est nisi hoc, F aliquotiens a ceteris omnibus libris dissentire velut ad Quint. fr. I: 4^4 *luctum laborem* M dm EGHN Iens.: *luctum laboremque* bs OP Pal. Rom.: *luctum et laborem* F; ad Att. II: 9^4 *nunc audi quod* rell.: *nunc audi ad id quod* F; III: 8^2 *ab illo* Ω praeter F: *ab Ilio* F[1]; VI: 2^7 *litteris* F: om. rell.

b. *Parisini* 8536 (P) et 8538 (R) cum plane gemelli sint (Lehm. Att. p. 38 sqq.), satis habui alterutrum (P) conferre; contuli igitur epistulas ad Brut., ad Qu. fr., ad Att. I—VIII, ex ceteris libris nonnullos locos inspexi.

c. Cod. *Palatinus* 1510 (Pal.) in bibliotheca Vaticana, chartaceus, exeunte saeculo XV scriptus, latus 23, altus 33 centimm., constat ex 129 foliis. Prima pagina scriptum est: 'Palatinus quartus dicitur in collectione Gruteri.' — Cfr S. B. Platnerius, 'Am. Journ. of Phil.' XXI (1900) p. 422 sq. — Continet inde a fol. 1 a usque ad fol. 18 a epp. ad Brutum l. I, 18 a—58 a epp. ad Qu. fr., 58 a —60 b ep. ad Octavium, 61 a—129 a epp. ad Att. I—III, IV:

[1] Si Bootio fides habenda est, Rav. quoque *ab Ilio* praebet, sed in gemello eius Pal. et in ceteris omnibus est *ab illo*.

1—4, 14, 16 §§ 1—4 (*intellegat curo*), 17 §§ 1—3 (*magis*), 18^{2} inde ab *amisimus* usque ad finem epistolae, 19^{1} inde a *fruere* usque ad finem; V: 1—8, 10; IX: 2—4; 6 §§ 4—7; 6 A. In inscriptione sequentis epistolae codex desinit. Graeca omnia sunt omissa sed plerumque ita, ut vacuum spatium relictum sit. — Totum codicem contuli.

d. Prorsus eadem continet cod. *Ravennas* 137: 4, 2 (Rav.), easdem lacunas habet, nisi quod etiam Att. IV: 14 deest; graeca rursum vocabula in Rav. exarata sunt. De hoc codice saeculo XV medio scripto — saeculo XIII scriptum esse sine iusta causa testatus est Mommsenus — uberius egit Bootius in praef. alt. ed. epp. ad Att. p. XIV sqq. perscriptis lectionibus, quae semper fere, si a parvulis discrepantiis discesseris, cum Pal. conspirant; unde suspicari licet, aut gemellos esse aut alterum ex altero fluxisse. Ac Palatinum quidem melius descriptum esse quam Ravennatem cum alia documento sunt tum haec: ad Att. I: 5^{1} *tibi quoque id* Pal., rell.: *tibi quoque ut* Rav. 18^{6} *pictam*] *putam* Rav. IV: 17^{2} *perscriptionibus*] *praescriptionibus* Rav. 18^{2} *igitur*] om. Rav. Itaque nihil est, cur Pal. ex. Rav. descriptum esse putemus; Palatinus autem, cum aliquot locis peccaverit, ubi Rav. verum servavit, velut his: ad Att. I: 16^{5} *illum illum* MdmGORav. codd. Mal.: *illum* bsEHNPPal. 16^{11} *hirudo*] *trudo* Rav. rell.: *triduo* Pal., al., etiamsi de utriusque codicis aetate nihil compertum haberemus, alterius quasi fons et parens non esset habendus. Certum igitur est, Pal. et Rav. gemellos esse; quae cum ita sint, satis visum est Pal. tantum conferre.

e. Cod. *Taurinensem* I. V. 34, nunc Lat. A 495 (O), descripsit Lehmannus Att. p. 32 sqq. Quem cum constet Ravennati affinem esse (Att. p. 154), ex eis, quae supra disputavimus, sequitur, ut Palatino quoque consimilis sit. Omnibus igitur locis, ubi Lehmannus l. l. O cum Rav. contra ceteros conspirare ostendit, Palatinum eadem praebere inveni, neque aliter res se habet in epp. ad Qu. fr.:

I: 1^{2} *praesertim cum* ΔEGNP: *praesertim quod* O Pal.: *quom* H. ^{17} *etiam ne*] *ne etiam* OPal. ^{32} *optime meritum*] *bene meritum* (corr. O^{2} in marg.). 2^{14} *admoneo*] *moneo* O Pal. *et audaciam*] om. O^{1} Pal. 3^{6} *existimatione*] om. O^{1} Pal. 4^{4} *dedecori*] *decori* O^{1} Pal. II: 1^{1} *arbitror*] om. O^{1} Pal. 3^{3} *mea summa*] *summa mea* O Pal. 7^{3} *magno cum gemitu*] *magno gemitu* O^{1} Pal. 12^{3} *in maiorem modum*] *maiorem in modum* O Pal. III: 1^{3} *arbitrabatur*] *arbitratur* O^{1} Pal. ^{19} *nostri amantius*] *amantius nostri* O Pal. 3^{4} *rebus*]

om. O^{1} Pal. 9^{3} *quiesco*] *acquiesco* O Pal. — Sed Rav. et Pal. ab O non pendere testimonio sunt loci, qualis est ad Att. I: 16^{2} *neque dixi quicquam pro testimonio nisi quod erat ita notum*, quae verba in O omissa sunt, in Pal. Rav. exstant; add. O^{2} in marg., sed *novum* (= M^{1} bdm GHN : *notum* M corr. s EP Pal. Rav.). — ad Qu. fr. II: 1^{3} *inurbaneque* praeter F solus O habet et quidem prima manu scriptum, ceteri omnes *urbaneque*.

Ut igitur cogitatione et mente complectamur, qualis fuerit Φ ille, unde manasse videntur PRF et O Pal. Rav. Ant., ut per se ipsi non sufficiunt O Rav. vel O Pal., ita ne P quidem illius codicis instar habendus est, si quidem in eo multa mendose scripta, multa interpolata sunt. Ac locis supra allatis P cum ceteris conspirat contra O Pal. ille quidem et verum servavit, sed persaepe peccavit velut ad Brut. I: 3^{1} *honoribus*] *moribus* P. 6^{1} *necessitudine*] *necessitate* P. 17^{5} *Quid enim nostra*] *Quid enim nostra interest* P. — ad Qu. fr. I: 1^{12} *potuisse*] *potius potuisse* P. ^{37} *summis*] om. P. 2^{5} *ex multis aliis*] *ex suis aliis* P. ^{7} *quos nominavi*] *quos modo nominavi* P. 3^{3} *oris*] om. P. ^{7} *desperamur*] *dissipamur* P. 4^{2} *plurimis invidis*] *pluribus licet invidis* P. II: 3^{3} *ad Apollinis*] *ad Apollinis aedem* P. 9^{3} *hominem*] *virum* P. 13^{4} *et esse et fore*] *et fore et esse* P. III: 1^{5} *multa*] *multum* P. ^{24} *exercitus*] *exercitum* P. 2^{3} *res videtur*] *rex noster* P. 4^{1} *infantius*] *infamius* P. *contentio, preces* M bd GHNO Pal. : *contentio precesque* ms : *contentio et preces* P. 4^{5} *quod voles*] *ut voles* P. — Att. I: 13^{3} *muliebri vestitu*] *muliebri indutum vestitu* P. II: 9^{1} *mittere*] *velle mittere* P. III: 24^{2} *miserimus*] *amiserimus* P. IV: 4 a^{2} *diligenter*] *diligenter cura* P.

Sed de hoc satis metuoque, ne quis nimium putet. Videmus igitur, in P vocabula interdum aliter collocata esse vel prave descripta aut omissa, id quod nullius codicis non proprium est, saepenumero consilio mutata aut ita interposita, ut interpolationum suspicionem moveant. Atque eius generis discrepantias ex Pal. quoque et O seorsum afferre supersedeo (cf. Lehmannus Att. p. 151. 179, 'Woch. f. klass. Phil.' III: 941); illud, quod nobis propositum est, ut intellegamus, qualis Φ fuerit, id facillime assequemur componendis lectionibus codicum O Pal. et P communibus, quales sunt hae:

ad Qu. fr. I: 1^{17} *in servis* ΔEGHN : *in servos* O Pal. P. ^{19} *honestissimam* rell.: *inhonestissimam* O Pal. P. ^{25} *furtorum* : *furta et* (*et* om. P). 2^{10} *incommoda laturum* M bd GH : *incommodum laturum* ms : *in commodulaturum* N : *incommodaturum* O^{1} Pal. P (O^{2} n. l.[1];

[1] De correctionibus O^{2}, quas ex libris ad classem Δ pertinentibus depromptas esse apparet, infra agam.

E deest). II: 5^3 *iam* ΔGHN (E deest): om. O^1 P Pal. — 9^1 *halucinari*] *vaticinari* (corr. O^2). 10^5 *litterae*] *et litterae*. 11^4 *me auctore*] *me enim auctore*. 13^3 *posset*] *posset priusquam Trebatius veniret vicem imperatoris subire* (sed P *prius quasi*). III: 1^2 *honestate testudinis* ΔGHN (E deest): *honeste testitudinis* O Pal. P. 9^1 *mihi nunc*] *nunc mihi*. — ad Att. III: 5 *ut eodem* ΔGHN : *eodem* O Pal. Rav. P. IV: 2^1 *declaravi* ΔNO^2 : *declara* G : *declarat* H : *declarabitur* O^1 Pal. P (E deest), alia; ab eademque origine repetendae sunt cum aliae varietates tum hae, ad Qu. fr. III: 1^{18} *scripsique ad Caesarem*] *et scripsi ad Caesarem que* O^1 Pal. : *et scripsi que ad Caesarem* P. — ad Att. III: 23^3 *quom et* O^1 Pal. : *quomodo et* P : *quod et* O^2 : *et quod* N : *quod* Δ. IV: 2^2 *doloris magnitudo* Pal. Rav. : *doloris et magnitudo* O^1 P (sed *etiam* P): *dolor et magnitudo* $\Delta GHNO^2$.

Sed quoniam O et Pal. inter se consimiles esse constat (vide p. 5 sq.), ne studium et operam temere profundamus, in duorum librorum, O et P vel Pal. et P, consensu acquiescendum videtur, praesertim ubi ceteri EGHN adsunt; neque enim id solum aut id potissimum agimus, ut Φ qualis fuerit indagemus, etsi hoc quoque ad universam codicum rationem intellegendam aliquantum valet: id potius spectamus, ut, quid in Σ et in ipso Ω scriptum fuerit, cognoscere et percipere possimus. Atque in epp. ad Brut., ad Qu. fr., ad Att. I—IV equidem Pal. et P elegi; in posterioribus ad Att. libris, ubicumque Pal. deest, O in eius locum succedat necesse erit. Pal. autem Taurinensi eam ob causam praeferendum esse censui, quia O^1, quem innumerabilibus locis compluribus manibus ita correctum aut corruptum esse monuit Lehmannus Att. p. 32 sq., ut saepe difficile esset investigare, O^1 quid scripsisset, nunc difficiliorem etiam habet examinationem. Nam ex incendio, quo Bibliotheca Taurinensis abhinc sex annos vastata est, vi atque impetu flammae misere laesus corrugatusque vix et aegre servatus est. Ac primo quidem non sine magno dolore iacentem vidi ligni ambusti vel glebulae instar, nec evolvi poterat; post insigni labore et cura in pristinum statum, quantum potuit fieri, restitutus est. Sed multo contractior atque exilior est quam antea litterulisque minutis, quippe qui non solum libros ad Att. XIII—XVI amiserit sed etiam ita compressus sit, ut hodie sit latus 9 centimm., altus 12, cum ante 17 et 25 fuerit. Hunc codicem totum non contuli, multos locos inspexi.

Iam ut eorum, quae supra disputavimus, summam subducamus, certum est, codices O Pal. Rav. (Ant.) et PR(F) propinqua cognatione coniunctos esse ab eademque origine Φ repetendos,

qui qualis fuerit, cum P et R gemelli sint itemque Pal. et Rav., quibus consimilis est O, ex consensu codicum O et P vel Pal. et P concludere licet.

B. Codices II.

Cod. Laur. ex Abbatia Flor. (Conv. Soppr.) 49 (N) et Land. 8 in bibl. Placentina (H) descripsit Lehmannus Att. p. 27 sqq.; quos e communi archetypo II fluxisse ex erroribus quibusdam communibus concludere sibi visus est p. 143 sq. Sed artiore etiam vinculo continentur cod. Additus 6793 et N, Paris. 16248 et H, de quibus hic pauca addam.

a. *Cod. Additus 6793* (*Add.*) in mus. Britt., chartaceus, XV saeculo scriptus; latus est 14 centimm., altus 21; constat ex 303 foliis. Continet inde a fol. 7 v usque ad fol. 296 v epp. ad Att. I—XVI: 16 B^{1} (*magnam*), 296 v—297 r epistulam Petrarchae ad Ciceronem; praeterea foll. 1—6 v et 298 v—303 v epistulas ad Brutum pessime exaratas praebet. Graeca vocabula omissa sunt sed spatia vacua relicta. Cfr S. B. Platnerius, 'Amer. Journal of Phil.' XX (1899): p. 292 sqq. — Hic codex miram sane speciem praebet: epistularum ad Att. libr. I—III: 15^{1} *esse confi(-rmatum)* et V: 10^{3}—18^{1} *(in)timis sensibus . . . omni exercitu*, quorum quae secundo loco posui pro I: 13^{2}—16^{9} omissis inserta sunt, et alia manu sunt scripta et aliam originem sapiunt: pertinent enim ad classem Σ, cum cetera omnia Mediceo simillima sint. Neque tamen Platnerio contigit, ut priori Additi parti certum in stemmate locum tribueret, quippe qui de Σ ea tantum comperta haberet, quae Lehmannus in lucem protulerat; nos, cum codicum Σ plenam collationem habeamus, Add. ex eodem fonte atque N fluxisse cum ex lacunis communibus intellegimus, quales sunt ad Att. I: 11^{1} *tam potest . . . si modo,* 17^{11} *ut . . . venias*, II: 14^{1} *cum . . . sermonibus*, tum ex varietatibus amborum propriis velut his: ad Att. I: 4^{3} *signa*] *ornamenta* N Add. 10^{5} *communibus*] *omnibus* N Add. 11^{1} *ne illud*] *ne illud quidem* N Add. II: 1^{1} *significas*] *notificas* N Add. 22^{2} *eius*] *eiusmodi*. III: 8^{4} *mentis meae motum* MmEGHP Pal.: *meae mentis motum* bds: *motum mentis meae* N Add. 9^{1} *nostris malis*] *malis nostris* N Add. V: 10^{5} *amore*] *amores* Δ (sed *a* expunctum in M) GHP Pal. (E abest): *mores* N Add. 13^{2} *curae* M corr. bdmsP: *cura* M^{1}: *cara* N Add. (ceteri desunt).

Perpaucis sane locis Add. meliores lectiones habet ille quidem quam N velut his: ad Att. III: 2 pro *Luc.* in N scriptum est *Iriac*, in Add. *luci*; 8^{4} *m(a)eror* bds P Add.: *memor* M^{1} mGN Pal. Rav.: $\overset{a}{\textit{memor}}$ H: *memoria* M^{4} E (de hoc loco infra uberius agam); 9^{2} Add. solus *tempore* praebet, quod etsi verum videtur vulgoque receptum est pro tradito illo *genere* (ΩC), tamen emendationis vel coniecturae speciem prae se fert. Ac sunt etiam, quae in N exciderint, in Add. exstent, velut II: 1^{11} *vindicem*, III: 12^{2} *verbo uno . . . ceterae*, alia; verum si universam rem spectes, neglegentius etiam descriptus est Add. quam N, cui rei, ut paucis rem absolvam, indicio sunt haec: III: 8^{2} *audire fore ut*] *fiē ua* Add.; V: 15^{3} *mihi ignota sunt* GHNOP: *mihi rogata sunt* Add.: *ignota sunt mihi* Δ; 16^{3} *e lege* EGNP: *ex lege* H: *lege* O^{1}: *est lege* Add.: *de lege* Δ (*de* om. m); II: 5^{1} *praedicarunt* (vel *-rint*)] om. Add.

Horum igitur codicum ea ratio est, ut neuter ex altero pendeat, uterque sui iuris sit: quod inter se consimiles sunt, id ea scilicet re factum est, quod ex eodem fonte fluxerunt. Sic quoque facillime explicantur tenuissima quaedam discrimina velut II: 19^{3} *esse tamen*] *tam̄* (i. e. *tamen*) *esse* N: *tum esse* Add. V: 13^{3} *quaeso simus*] *que osumus* N: *que osimus* Add., id genus alia. Atque nescio an in eo ipso parente fuerint lectiones duplices, quas in ipsam contextam orationem recepisse eum constat, qui N scripsit (Lehm. Att. 146 sq.), quarum una, ad Att. II: 21^{5} *ut iret adiret ad*, in Additum quoque transiit; hoc certum est, et neglegenter scriptum fuisse et multis locis hiasse. Atque N quidem totum contuli, Add. autem, cum EGHNP Pal. praesto sint, ad textum recensendum nihil lucri afferre censeo, etsi ad codicum Σ rationem illustrandam nonnihil valet. Velut confer ea, quae de correcturis *M^{2} al.* infra disputabo.

b. *Cod. Parisinus 'Nouv. Fonds' 16248* (*G*) in bibl. nationali, membranaceus, exeunte saeculo XIV vel ineunte XV scriptus, latus est 20 centimm., altus 27. Constat ex 258 foliis; continet inde a fol. 1 a usque ad fol. 16 a lib. I ad Brutum, 16 a—49 b epp. ad Quintum fratrem, 49 b—51 b ep. ad Octavium, 52 a—258 a epp. ad Atticum I—XVI: 16 B^{1} (*magnam*). Sed posteriores ad Att. libri inde a fol. 107 a (*gaudeo* Att. VI: 1^{8}) usque ad finem diversa manu exarati ad classem Δ pertinent; prior codicis pars usque ad ep. ad Att. VI: 1^{8} (*valde probari* ima pagina 106 b) nitidis litteris in usum nobilis alicuius viri scripta in Σ ponenda est. Graeca vocabula in epp. ad Brut., Qu. fr., Att. I—VI: 1^{8} prima

manu ascripta sunt, in posterioribus libris vacua spatia relicta. — Excussi epp. ad Brutum, Qu. fr., Oct., Att. I—VI: 1^8; H totum contuli.

Hunc librum ante ignotum e tenebris in lucem primus vocavit inspexitque A. C. Clarkius ('Class. Review' X a. 1896 p. 321 sqq.), post diligentius examinavit Abbottius ('Woch. f. klass. Phil.' XV a. 1898 p. 783 sq.), neque tamen adhuc, quantum scio, quid invenisse sibi videatur, in medium protulit. Et sane perdifficile est eiusmodi quaestionem recte instituere atque ad exitum, quo acquiescas, perducere nisi reliquis quoque eiusdem familiae codicibus examinatis.

Ac primum quidem non est dubium, quin G ab eadem cum H origine repetendus sit, id quod exemplis illustravit Clarkius l. l. Velut in G eadem interciderunt, quae Lehmannus Att. p. 30 sq. in H deesse memoravit; atque ut de nostro pauca adiungamus, in IV ad Att. libro in GH haec omissa sunt: 1^2 *Quem semel* ... § 7 *aestimabunt;* 2^2 *Itaque* ... § 5 *iidem inquam;* 3^3 *M. Tetti* ... § 4 *futura;* 6^3 *sed me hercule* ... *videatur*, alia. Quae cognatio magis etiam comprobatur lectionibus amborum propriis velut his: ad Qu. fr. I: 3^8 *tam timeo*] *tanti timeo* GH. II: 2^3 *senatus consultum*] om. GH. ad Att. II: 8^2 *spectare*] *exspectare* GH. III: 8^1 *Epheso*] *ab Epheso.* V: 1^3 *sumptus* ENOPC : *sumpta* Δ Pal. Rav. : *supradicta* GH. 9^2 *suo statu*] *suo loco statu* GH, id genus aliis, de quibus uberius agere in rem videtur, cum de correctionibus M^3 infra disserendum erit. Praeterea memoratu dignum est, codicis H priorem partem usque ad Att. VI: 1^6 (*decederent*) alia manu scriptam videri quam posteriorem, G inde ab ep. ad Att. VI: 1^8 deficere.

Quantum vero G alteri praestet, vel ex eo elucet, quod in H graeca omnia sunt omissa, interdum notae quoque numerorum, velut ad Att. I: 13^6, 14^7; quin etiam haud pauca in H interciderunt, quae in G servata sunt velut in prima ad Quintum fratrem epistula § 4 *neve te* ... § 10 *est cum,* § 26 *decrevissent* ... § 32 *difficultas;* ad Att. V: 7, alia; IV: 11^2 in voce *delector* desinit G, in *desit* H. Sed non solum integrior est G verum etiam sincerior, si quidem in H correctoris libido vel socordia saepe agnoscitur, ut ad Brut. I: 4^3 *Cicero* G, rell. : *mi Cicero* H. ad Qu. fr. II: 2^3 *calumnia*] *pecunia* H. III: 1^1 *aquamque quam*] *quanque quam* G : *quamquam* H. — ad Att. I: 1^1 *opinio est* s : *opinio si* bd NP Pal. Rav. : *opinio se* Mm : *opiniosi* G : *opinioni* H (fuit, nisi fallor, in archetypo *opiniost*). 10^4 *quamvis acrem amatorem*] *quamvis acrematorem* G : *quamvis hac re emptorem* H. II: 24^4 *prorsus vitae*

taedet ita] *prorsus vita & ed& ita* G : *prorsus* (add. lineis distortis) N : *prorsus victa et decreta* H. IV: 3^{6} *illo recusante*] *Milo recusante* G : *Milone recusante* H. V: 14^{2} *iurisdictioni*] *varis dictionis* G : *variis dictionibus* H.

Quae cum ita sint, G non potest ex H pendere; contra sunt, qui suspicentur, H ex G descriptum esse. Quod quo minus credam, obstant aliquot loci, ubi is, qui G scripsit, earundem similiumve vocum aut syllabarum repetitione deceptus plures voces omisit, quas in H servatas habemus, velut ad Qu. fr. II: 3^{2} *Respondebant operae* (*Pompeius. Quis Alexandream ire cuperet. Respondebant*) *Pompeius.* ad Att. I: 16^{16} *cui darem* (*nec satis sciebam quo darem*) ubi vocabula uncis inclusa in G exciderunt, in H non item; 17^{6} *non domesticae,* alia; ad Qu. fr. I: 1^{37} *integritate humanitate*] *humanitate integritate* H : om. G. Accedunt leviores errores, quales sunt ad Att. V: 21^{5} *miratos*] *mutatos* G. 2^{3} *annua*] *a nimia* G. — Cum igitur alterum ex altero non descriptum esse certa indicia coarguant, tum ex eadem origine ambos ductos esse insignis eorum similitudo persuadet.

c. Iam sequitur, ut de ipso Π pauca subiungamus, quem Lehmannus Att. p. 144 sq. quasi avum codicum N et H fuisse vult. Ac primum quidem tollenda videntur haec exempla: ad Att. I: 16^{6} *nisi qui* EO^{1} : *nisi quis* M corr. bd corr. ms PO^{2} : *nisi quia* M^{1} (ut vid.) M^{3} (post del.) d^{1} GHN Pal. III: 4 *quadringenta* ΔGOP : *quadraginta* H Pal. : XL N. IV: 1^{8} *vehementer te requirimus* M^{1} ms EOP Pal. : *vehementer terrere si te requirimus* M^{2} bd N (sed *terrei* pro *terrere* N) : *vehementer terere* G : *vehementer terrere* H. Neque multum tribuendum est discrepantiis, qualis est II: 21^{1} *lenibus* rell. cum G : *levibus* NH. Atque his locis G cum ceteris conspirat contra NH: ad Att. II: $16^{2,4}$. 21^{4}. III: 12^{1}. 15^{7}; ad persuadendum aptiora sunt haec: I: 9^{1} *nobis abs te* G cum rell. : *abs te nobis* H : *abs te* (om. *nobis*) N. 17^{10} *litteris satis*] *satis litteris* N : *litteris* (om. *satis* H). III: 7^{1} *mihi valde*] *valde mihi* O : *mihi* (om. *valde*) NH. IV: 1^{2} *tibi vere*] *vere tibi* N : *tibi* (om. *vere*) H, cfr etiam II: 1^{2} *nostris rebus lucis*] *rebus posse lucis* N : *rebus nostris lucri* H, quibus locis discrepantia positus vocabulorum fortasse ita explicanda est, ut in archetypo fuisse velut $\overset{\textit{vere}}{\textit{tibi}}$ fingamus. Restant igitur ex Lehmanni exemplis haud ita multa velut haec: I: 17^{5} *honorum*] *bonorum* GHN. 17^{8} *valde graviter*] *graviter* (om. *valde*) GHN. — V: 21^{3} *qui consilio*] *qui in consilio* GHN; sed et alia accedunt ut ad Brut. I: 15^{1} *evigilat*

ΔEP Pal.: *vigilat* GHN. ad Qu. fr. I: 1[38] *tibi esse*] *tibi* GHN. ad Att. III: 10[1] *potero*] *potuero* GHN. 17[3] *exspecto*] *exopto* GHN, sim., quibus probatur, cognatione quadam inter se contineri GHN illos quidem sed paulo remotiore, quam putaverat Lehmannus; quod vero II ipsum codicem Pistoriensem fuisse suspicatus est (l. l. p. 144 sq.), virum doctissimum fefellisse opinionem ex eis, quae infra de correctionibus M^3 ex codice Pistoriensi desumptis in animo est disserere, facile intellegi potest.

C. Excerpta Ambrosiana E 14 inf. (E).

De aetate codicis Ambrosiani E, quem Lehmannus Att. p. 20 sqq. (cfr etiam p. 135, 151, 168 sqq.) accurate descripsit — omnia, quae is codex ex epistulis Ciceronis habet, ipse contuli —, est quaedam inter doctos viros dissensio: Lehmannus enim XIV saeculo exaratum esse omniumque, qui nunc sunt ex Ω noti, vetustissimum contendit (de Rav. cf. p. 5), Schmidtio ('Briefwechsel' p. 444 sqq.) non E solum sed archetypum adeo codicum EOPR Rav. recentius esse quam M et m persuasum est, quorum alterum anno circiter 1390, alterum anno 1408 scriptum esse constat. Qua de re cum ad universam codicum Σ et Δ rationem recte iudicandam permagni momenti esse videatur controversiam dirimere, quo melius ipsa re et ratione nisi iudicemus, in fine operis mei addenda curavi exempla phototypice expressa codicum E et m, quae qui sobrio iudicio comparaverit, perspiciat oportet, Berolinensem aliquanto recentiorem esse quam Ambrosianum, quod idem in M cadere intelleget, si quis E et M (cfr Schmidtius 'Überlieferung' tab. 3) in contentionis iudicium vocaverit. Ac mea quidem sententia non verisimile est, E medio saeculo XIV posteriorem esse.

Quae cum ita sint, iure quaerat quispiam, num ex E ceteri codices classis Σ non dico descripti sint — multa enim desunt in E, praesertim in epistulis ad Atticum — sed pendeant (nam de ratione, quae est inter Σ et Δ(M), infra suo loco disputabimus). Quod quo minus credamus, cum alia multa obstant tum leviores quidam errores Ambrosiani, velut ad Qu. fr. I: 1[33] *qui pendere ipsi* (*vectigal . . non potuerint . . non esse autem leniores in exigendis*) *vectigalibus Graecos* eqs. — ad Att. II: 20[1] . . . *habet.* ('*Credis*', *inquies.*) *Credo*, ubi vocabula parenthesi inclusa in E interciderunt, nimirum quod scriba ab initio vocum *vectical* et *credis* ad simile earundem vocum brevi intervallo repetitarum principium oculis

aberravit. Sed et alia multa desunt velut ad Qu. fr. I: 1^3 *est . . . humanitatis tuae curare et perficere, ut . . .*, ubi memoriam Ambrosiani *curare, ut* (om. *et perficere*) mancam esse nemo suspicaretur, nisi ceterorum testimonia praesto essent. Atque hic tamen nullam habui rationem magnarum illarum lacunarum, de quibus egit Lehmannus l. l. p. 23 sq. Iam vero menda, qualia sunt ad Brut. I: 10^5 . . . *nisi in vestrorum castrorum principiis est . . . Hoc adulescentis praesidium* . . ., ubi E solus *adulescentis principium* habet, ad Qu. fr. III 9^3 *intellegere volueram*] *intellegeram volueram* E, unde nata sint patet. Nonnumquam fit, ut et Ambrosiani et reliquorum memoria habeat, quo commendetur, aut ut saltem ferri possit lectio E, ut ad Att. VI: 1^2 *nobis eam* (i. e. provinciam) *obtinentibus*] *illam tenentibus* E. 2^8 *Id me igitur tu*] *Id me ergo tu* E (*ergo* in E scribitur $\overset{o}{g}$, *igitur* $\overset{i}{g}$), quibus locis, si ex E penderent ceteri, nihil sane fuisset, cur tam miro consensu librarii codicum GHNP Pal. tradita mutarent. Atque ex varietatibus his, ad Brut. I: 2 a^1 *me . . . egisse ut*] *me . . . fecisse ut* E : *me . . . gessisse ut* H. ad Qu. fr. I: 1^8 *integritate*] *dignitate* E. 1^{25} *toto denique imperio*] *toto denique in imperium* (sic!). 4^4 *si levare potest* Vict., vulg. : *a se levare potest* ΔGHN Pal. C : *si relevari potest* P : *si relevare potest* E. II: 14^2 *et certe* rell. : *aut certe* E. ad Att. IV: 3^2 *iure*] *de iure* E. VI: 3^4 *formam*] *fortunam* E. VII: 1^4 *densae*] *tensae*, similibus aliis coniectare licet, in E quaedam consilio mutata esse, quod magis etiam manifestum est consensu Ambrosiani cum s vel H vel M^4 velut ad Qu. fr. I: 1^7 *te ipse*] *te ipsum* sE. ad Att. III: 7^2 *non tam . . . sed* M^1bdm GHNOP Pal. Rav. F : *non tam . . . quam* sE (in M quoque compendium, quo *sed* designatur, in notam particulae *quam* correctum est). V: 1^1 *annuum*] *annuo* E : *animo* H. III: 8^4 *maeror*] *memoria* M^4E; cfr etiam lectiones M^2al. E infra. — Ut igitur E omnium, quos habemus (praeter W), vetustissimam speciem prae se fert, ita ceteros sui iuris esse constat; lectiones vero Ambrosiani est ubi scrupulum iniciant.

Iam relinquitur, de hac classe (Σ) quae certa quaeve veri similia sunt, ut paucis comprehendamus simulque illam quaestionem, quam p. 3 leviter perstrinximus, profligemus, quonam iure duobus tribusue testibus (EP, NP, HNP) innisi codicis Σ scripturam primitivam recuperare posse visi simus.

Quid in communi archetypo Σ scriptum fuerit, ex consensu aut omnium librorum superstitum EGHNP Pal. concludere licet aut plurimorum; nam si forte unus deficit, in reliquorum consensione

acquiescendum est. Velut ad Qu. fr. II: 1^1 *praetorii* Σ (— E): *praetor* Δ. III: 1^{13} *scripsisti* Σ (— E): *scribis isti* Δ. ad Att. I: 5^1 *tectum* Σ (— E): *tecum* Δ. IV: 16^3 *commodum* Σ (— GH): *consonum* Δ, ut paucis rem absolvam, quis est, quin intellegat, codicibus GHNP Pal. vel ENP Pal. lectionem archetypi acceptam referri? Quin etiam, si ceteris unus refragatur, velut ad Att. III: 7^2, de quo loco nuper mentionem fecimus p. 13, ubi E hoc habet: *non tam* ... *quam*, ceteri *non tam* ... *sed*, in constituenda memoria nihil sane est, cur de *sed* dubitemus,[1] nam in hoc: *non tam* ... *sed* paulo inusitatiore potuit quispiam haerere atque in *non tam* ... *quam* corrigere, quod nihil habet, in quo offendas. Atque hoc *non tam* ... *sed* non in Σ solum fuisse sed etiam in Δ consensus librorum M^1bdm persuadet; quod s solus *non tam* ... *quam* praebet, in quo libro correctoris persaepe libidinem agnosci p. 16 sq. ostendemus, id nimirum eidem scrupulo ascribendum est.

Et quoniam constat, codices EGHNP Pal. et ad eundem ortum redire et tamen paululum discrepare, ut E et GHN (Π) et P Pal. (Φ) inter se seiungendi sint, ubicumque unus praesto est, ut P in posterioribus ad Att. libris, si E quoque deficit, anceps iudicium erit; fieri enim potest, ut P aut scripturam archetypi Σ servaverit aut imaginem prosapiae Φ reddat, aut singularem suique propriam varietatem praebeat. Facilior vero est res ad diiudicandum atque ab opinionis arbitrio remotior, si duo tresve codices diversi generis consentiunt, velut ad Att. V: 20^3 *accessit* ENP: *cessit* Δ. VI: 2^{10} *huc quaestorem* HNP: *quaestorem huc* Δ. 1^5 *illam* NP: *ullam* Δ. VIII: 1^3 *a bonis* EP: *ab omnibus* Δ, quibus locis librorum superstitum beneficio iudicamus pristinam lectionem ex archetypo Σ haustam constare. Quae cum ita sint, si quis nos interrogabit, cur non duorum triumve librorum testimoniis contenti simus et sex illos examinaverimus — sunt enim, qui unum satis esse iudicent[2] — haec respondebimus, non modo id nos agere, ut, quid in Σ fuisse veri simile sit, indagemus, sed illud etiam nobis propositum esse, universam rationem codicum Ω, quantum potest, ut explicemus. Atque E quidem, quippe qui vetustissimus sit, non oportebat neg-

---

[1] Difficilius est diiudicare, utrum *tam* (Ω) an *iam* (Z^b) in vetustissimo archetypo fuerit; de Z^b vide cap. II.

[2] L. Gurlittus, Philol. LV: 338 ann. 35: 'Der kritische Apparat', inquit, 'bestehe demnach aus C und c, M^{123}, E o d e r O o d e r N o d e r P'. O. E. Schmidtius l. l. p. 725 ann. 21: 'erkläre ich .. dass ich ... d i e w i c h t i g e r e n Lesarten einer Hs. aus Σ, etwa von O, in den kritischen Apparat aufgenommen wissen will'. Hoc non sufficere progrediente disputatione magis etiam apparebit.

legere; P solus integer est et tamen dubiae fidei, ad cuius lectiones comprobandas aut temperandas in subsidium succedant O vel Pal. oportet; GH et N cum ad alia tum ad correctione M^3 et M^2 al. recte iudicandas aliquantum valere videbimus. Hos igitur eligendos putavi, ceteros (Add. Rav. R) omittendos et quidem eas ob causas, quas ante (p. 4 sqq.) dixi, ne inutilium mole lectionum opus editionemque onerarem.

Extremum illud est, ut stemma classis Σ paulo plenius hic ponam:



3. De codicibus ad classem Δ pertinentibus.

Iam sequitur, ut ad aliam eandemque difficiliorem quaestionem tractandam aggrediamur, possitne stemma classis Δ distinctius atque accuratius constitui. Quod nemo, quantum scio, adhuc fecit; ne Lehmannus quidem facere posse confisus est (Att. p. 156). Neque tamen fieri potest, ut de Mediceo illo clarissimo recte et vere iudicemus nisi aliis eiusdem familiae codicibus examinatis: sic enim omissis, quae coniectura nituntur et sine certa ratione sumuntur, rem ad exitum perducturos speramus.

Codices *Mbdms*, quos e magno numero quasi exempli causa protuli, etsi artiore quodam propinquitatis vinculo contineri constat (v. p. 2), tamen haudquaquam una forma, ut aiunt, percussi sunt. Ad quam rem demonstrandam aptum videtur ab eo codice initium sumere, quem Lehmannus contulit.

A. Cod. Urbinatem 322 (s)

(in bibliotheca Vaticana) descripsit Lehmannus Att. p. 42 sqq. indicemque lectionum addidit, quae Urbinati cum classe Σ communes

sunt, unde concludere posse visus est, s ex M non pendere, quod O. E. Schmidtio non probatur ('Briefwechsel' p. 446). Nos quidem de hac re deque universa ratione codicum Σ et Δ cum infra uberius disputaturi simus, hic silvam quandam atque materiam potius comparare in animo est, unde post sumamus quaestiones illas implicatas et reconditas tractantes. — Contuli epp. ad Brut., ad Qu. fr., ad Oct., ad Att. I—VIII; praeterea satis multos locos inspexi.

Primum igitur constat, s in Δ ponendum esse: omnibus enim locis, quos Lehmannus Att. p. 45 sqq., 134, 155 et nos p. 2 sq. perscripsimus, quibus plures etiam adiungere potuimus, cum Mbdm contra Σ consentit. Hoc ideo tenendum est, quod quibusdam viris doctis, quorum numero est S. B. Platnerius (cfr 'Amer. Journ. of Phil.' XXI: 430 sq.), s contaminatum esse atque interpolationes ex Σ accepisse veri simile videtur. Quod longe secus est, nam consensio illa codicum Σ et s, cuius pauca exempla Lehmannus Att. p. 43 sq. attulit neque ea satis certa (velut ad Att. II: 4^4 in M^1 *minus* scriptum est proclivi sane errore pro eo, quod in M^2bdms Σ est: *nimis;* VI: 1^{25} M quoque *hec ego* praebet, VII: 13^7 *tua*, VIII: 7^1 *Domitius*), aliter explicari et potest et debet; de qua re infra pluribus agam. Sed s ea de causa seiungendum putavi, quod in eo peculiares quaedam varietates lectionum sunt, quae magna ex parte coniecturarum et emendationum suspicionem movent velut hae (priore loco ceterorum consensum ponam):

ad Brut. I: 2 a^1 *otio*] *animo* s. 10^5 *per litteras*] *per epistulas.* 16^1 *scripta*] *scriptae.* ^{10} *veniunt*: *eveniunt.*

ad Qu. fr. I: 1^9 *sumptu*] *sumptibus* s. ^{38} *dicere solent*] om. s. ^{44} *tibi parum*] *non solum tibi parum.* 2^{16} *spero fore studiis non solum . . . ut*] *spero fore ut non solum studiis.* 4^1 *nullum est*] *nullum est enim.*

II: 3^1 *vestitum*] *vestem tum* s. 9^3 *multae* (*tamen*) M corr. bd GHNP: *multa* Pal.: *multi* M^1m: *multis* s. 14^2 *genuine* (vel *gemine*)] *germane.*

ad Att. I: 1^3 *ventitet* M^3bdΣ: *veniret* M^1m: *veniat* s. 9^1 *itaque* M^3bdΣ: *idque* M^1m: *ideoque* s. 16^4 *impetrarat*] *impetravit* s. 18^2 *ipsa medicina efficit*] *ipsa me deficit.* — *spe non corrigendae sed sanandae* ENP Pal. (sed *servandae* N): *non corrigendae sed sanandae* bd GH (sed *sedandae* G): *animo corrigendae et sanandae* s (Mm desunt). 20^1 *respondebo*] *respondeo.*

VI: 1^2 *putent*] *putant* s. ^{3} *dico*: *ilico.* 2^7 *rogare*] *eum rogare. ita*] *ista.* 3^2 *videatur*] *iudicatur.* ^{5} *tanti* MbdmNPW (EGH desunt): *talenta* s. ^{7} *misit*] *scripsit.* 4^3 *quo*: *queo.* 5^3 *praeficiam nisi*] *presi*

nisi Mbdm : *prefeci si* N : *prefinxi* P : *premisi* s. 6[4] *aptius apte apud* : *aptius ac te apud* s.

Ex reliquis libris satis erit singula exempla attulisse: ad Qu. fr. III: 7[2] *ante* : *ante lucem* s. ad Att. II: 23[1] *colligere*] *intelligere*. III: 13[1] *videre*] *vidisse*. IV: 15[7] *bessibus* b : *besibus* M[1] dGHP : *hesibus* N : *hesibet* M[2] al. m : *exile* s. V: 1[2] *volui* : *ut volui*. VII: 11[3] *debeamus* : *redeamus*. VIII: 16[2] *propitium* : *hunc propitium* s.

Atque hic nullam habui rationem varietatum sane levium, quae in diverso positu vocabulorum (ut ad Att. I: 10[3] *sigillata duo*] *duo sigillata* s) consistunt aut in defectu orationis, qualis est ad Qu. fr. I: 1[33] *neque ii . . . fuerunt neque ii . . . potuerunt neque ii . . . postulaverunt*, ubi tertium membrum in s intercidit. Quod si quis indicem exemplorum perlustraverit, continuo intellegat necesse est, in libro aliquo, ex quo s aut descriptus est aut pendet, multa olim consilio vel errore emendata et mutata fuisse; neque enim veri simile est, eum ipsum, qui s transscripsit, sua sponte addidisse aut mutasse, cum totus codex maxima cura et diligentia scriptus esse videatur; et sane permultis locis si non veram, at genuinam et consensu codicum munitam lectionem servat neque tradita corrigit, nonnumquam cum M[1] m vel m vel bd peccat (de lectionibus codicum M[1] ms, ms, bds v. p. 21 sq.), paucis denique locis varietates in margine prima, ut videtur, manu ascriptas praebet, velut his: ad Brut. I: 17[2] *ut iam* rell. : *utinam* s : *utrum* s[1] in marg. ad Att. VII: 2[7] *dierum XX*] *DXX* M : *dxx* bdmNP : *de · xx ·* s : *dixit* s in marg. — Quibus rebus adducor, ut existimem, s accurate transscriptum esse. De consensu sΣ, M[4] s v. infra p. 56. 73.

Hoc vero in propatulo est, fieri non posse, ut duorum tantum codicum, Medicei et Urbinatis, lectionibus persaepe inter se variantibus nisi veram classis Δ speciem animo capiamus, nisi forte Mediceum ipsum per se sufficere ac verba scriptoris sincera atque integra servare nobis persuasimus: de qua re melius erit interim iudicium cohibere.

B. Codices Med. M et Berol. m.

Cod. Mediceus plut. XLIX n:o 18 (*M*) in bibl. Laurentiana, chartaceus, anno circiter 1390 scriptus a mercennariis librariis et postea variis manibus correctus (v. infra p. 37); latus est 21 centimm., altus 28. Constat ex 226 foliis; continet inde a fol. 1 a

usque ad fol. 14 a lib. I ad Brutum, 14 a—47 b epp. ad Qu. fr. l. I—III, 47 b—49 a ep. ad Octavium, 49 a—226 b epp. ad Att. l. I—XVI: 16 B^1 (*magnam*). Cfr Fr. Ruehlius, Mus. Rhen. XXXVI: 21 sqq. F. Hofmannus, 'Der krit. Apparat zu Ciceros Briefen an Att.', Berolini 1863. O. E. Schmidtius, 'Die handschriftliche Überlieferung der Briefe Ciceros an Atticus, Q. Cicero, M. Brutus in Italien'. Lipsiae 1887. Leightonius, 'The Medicean mss. of Ciceros letters', 'Transact. Am. Phil. Ass.' XXI: 59 sqq.

Cod. Berolinensis ex bibl. Hamiltoniana 166 (*m*), membranaceus, anno 1408 scriptus; latus est 23 centimm., altus 33. Constat ex 162 foliis; continet inde a fol. 1 a usque ad fol. 9 a epp. ad Brut. l. I, 9 a—28 b epp. ad Qu. fr. l. I—III, 28 b—30 a ep. ad Octavium, 30 a—162 a epp. ad Att. I—XVI: 16 F (*rogo*). Cfr O. E. Schmidtius, 'Die handschriftliche Überlieferung' p. 81 sqq. 'Briefwechsel' p. 445. Philol. LV: 723 sq. — Lehmannus Att. p. 160 sq.

Codices M et m inde ab initio usque ad finem l. ad Att. octavi contuli, praeterea complures locos inspexi.

Cod. Berol. m ex Mediceo M a Poggio descriptum esse, postquam Coluccius annotationes et correctiones (M^2) ascripserit, Schmidtio persuasum est; Lehmanno incertum videtur, utrum sui iuris sit an ex M pendeat. Quae controversia doctissimorum virorum reique criticae intellegentium existimatorum qua ratione diiudicanda sit, mox videbimus; nunc nobis propositum est demonstrare, insignem prae se ferre similitudinem M^1 et m.

a. Ac primum quidem non temere nec casu evenire patet, ut aliter collocata sint vocabula in M^1m cum aliis multis locis tum his:

ad Att. I: 20^5 *Gallia nuntiari*] *nuntiari Gallia* M^1m. II: 1^6 *venti valde sunt*] *valde sunt venti.* 6^1 *ad lacertas captandas*] *ad captandas lacertas.* 13^2 *litteras ad Sicyonios*] *ad Sicyonios litteras.* V: 19^1 *longe mihi*] *mihi longe.* VI: 1^6 *tetigi provinciam*] *provinciam tetigi.* — In M plerumque addita sunt signa transponendi.

b. Desunt in utroque ad Att. I: 18^1 *reperire ex* . . . 19^{11} *et talis;* praeterea multa omissa sunt velut haec: ad Att. II: 1^{12} *et ad me perferantur* 4^3 *aliquod* 7^3 *primum* 12^2 *facile* 19^4 *studium* 22^5 *quid tempus* 24^1 *omnis* V: 1^3 *vero, ipsa* ^{4} *Haec* ^{5} *A* 2^3 *ad* 13^1 *confectae* ^{3} *nunc* 20^3 *ego;* quae ubique fere addidit M^3.

c. Accedunt variae lectiones, quales sunt hae:

ad Brut. I: 16^7 *nimium magnam* M^3bdΣ : *nimiam magnam*

M^{1}m : *nimiam* s. — ad Qu. fr. I: 1^3 *ad excellentem* M^{3}bdΣ : *et excellentem* M^{1}m (in M scriptum est *et de excellentem*, sed *de* expunctum, fort. ab M^1, post *et* linea inductum, fort. ab M^3): *et excellentiam* s. 2^4 *commendari*] *commodari* M^{1}m, corr. M^2. III: 7^1 *proluvies* M^{3}bdΣ : *luvies* M^{1}m : *illuvies* s. 8^4 *iniucundus bonis*] *in iocundis bonis* M^{1}m.

ad Att. I: 5^2 *placarem ut*] *placaremus* M^{1}m. — *quo*] *quod.* 11^3 *me eorum*] *meorum.* 16^2 *ac sordibus*] *a sordibus.* 17^3 *atque*] *que.* ^{5} *ingenuitas*] *integritas.* II: 2^2 *et eodem multo plura* : *et eo multo plurima.* 5^3 *fiat et*] *fratre.* 12^4 *civis*] *quis.* 16^1 *hominum*] *homines.* ^{4} *perscripseram*] *rescripseram.* 24^2 *sese*] *se.*

III: 7^1 *eo*] *et eo.* 8^4 *inconstantia*] *constantia.* 15^7 *me meos* ENOP : *me meosque* M^{3}bds GH Pal. : *me meis* M^{1}m. 22^2 *affert*] *asserit.* IV: 1^1 *ut vere scribam* M^{3}bdsGHNO^{2}P : *ut rescribam* O^{1}Pal. : *te vere. scribam* M^{1}m. ^{4} *feci*] *fecimus.* 5^2 *mihi licet*] *me licet.*

V: 3^2 *P. Licini*] *publi(i) mi(c)hi* M^{2}al. Σ (— E) : *publii . L . mihi* bds : *publi . li . mi(c)hi* M^{1}m. 9^1 *sine impedimentis* M corr. bds NP (EGH deficiunt) : *sine is impedimentis* Mm (in M *sine is* ex *sin eis* corr., post *is* del.). 21^2 *impendet*] *pendet.* ^{11} *una*] *in iis* (*his*). VI: 1^{15} *in quo inest*] *in quo est.* 7^2 *etsi etesiae*] *et si ethesie* N : *et si asie* bds P (EH desunt) : *et si et Asi(a)e* Mm.

VII: 8^1 *nuntius* M^3 (sed del.) bds HNP (E deficit) : *nutus* M^{1}m. VIII: 10 *liberalissime*] *liberatissime.* 12^6 *misi*] *mitto.*

Ex his igitur, quae exempli causa posui, satis apparere puto, propinqua cognatione cum *M*^{1} coniunctum esse Berolinensem *m.*

C. Codices Laur. d et Berol. b.

Cod. Laur. n:o 217 ex bibliotheca aedilium (*d*), membranaceus, latus 20,5, altus 28 centimm., XV saeculo scriptus est. Continet epistulas ad Brutum, Quintum fratrem, Octavium, Atticum; ep. ad Att. XVI: 16 B^8 *perturbationem* . . . F^{18} *rogo* alia manu addita esse videntur. Folia non sunt numeris signata. — Is codex Lehmanno haud indignus visus est, qui accuratius examinaretur (Att. p. 45).

Cod. Berolinensis ex bibliotheca Hamiltoniana n:o 168 (*b*), membranaceus, latus 24,5, altus 35 centimm., XV saeculo scriptus, continet fol. 1 r—136 r epp. ad familiares, quae vocantur, 137 r—145 v epp. ad Brut., 146 r—166 v epp. ad Qu. fr., 167 r—

307 r epp. ad Atticum; 307 r—308 r ep. ad Oct. — Graeca in bd inserta sunt minusculis litteris plerumque adiecta versione Latina; nonnullis locis vocabulum Graecum omissum est. — Contuli epp. ad Brutum, Qu. fr., Att. I—VIII, ex reliquis libris pauca excerpsi. — Simillimos inter se esse b et d cum alia indicio sunt tum haec:

ad Qu. fr. I: 1^{8} *continentiaque*] *abstinentiaque* bd. 1^{13} *famam*] *formam.* 1^{25} *magno et gravi*] *et magno.* 2^{4} *factum esse*] *factum.* 2^{5} *ipsa*] *ipse.* 2^{10} *Nasonis* om. bd. 2^{11} *causa* etiam post *Pompei.* — *ipse ad te scripserat Flavius*] *ipse ad te scripserat* (om. *Flavius*). 2^{14} *spectare*] *exspectare.* 2^{16} *quidem* om. 3^{3} *fuit*] *fuerit.* 3^{10} *mi frater tibi*] *tibi mi frater.* 4^{3} *eadem manu poterit*] *poterit eadem manu.* II: 2^{2} *edicta*] *edita.* 4^{5} *bestiariorum*] *bestiarum.* 7^{3} *cum gemitu senatus*] *cum gemitu cum senatus.* III: 1^{3} *recta*] *erecta.* 1^{10} *minima maxima* MmΣ : *minima maximaque* s : *minima maxima autem* bd. 3^{4} *numquam minus*] *minus numquam.* 7^{1} *ablata* om. 9^{3} *temporum*] *temporis.*

ad Att. I: 14^{5} *facile ex altera parte* Σ : *ex altera parte facile* Mms : *ex altera parte* (om. *facile*) bd. 20^{4} *iam qui queratur* M^{2} ms EGHN : *qui iam queratur* P Pal. : *qui queratur iam* bd (M^{1} *idem qui queratur*). II: 7^{2} *omnibus vestigiis*] *vestigiis omnibus* s : *sane vestigiis* bd (*sane* ex priore versu, ubi haec sunt : *sane mihi iucunda*, irrepsisse apparet). 13^{2} *fremitus* Σ : *infremitus* M ms : *infirmitus* bd. III: 8^{1} *prope esset plena* Σ : *prope est et plena* M m : *prope est plena* bd : *plena est* s. 17^{3} *cave ne* (om. verbo timendi) MmsΣ (— E) : *ne* bd. IV: 3^{2} *vehemens*] *vehementer.*

Eiusmodi igitur varietates ex aliquo fonte communi manarunt; nam ne quis suspicetur, d ex b descriptum esse aut pendere, discrepantiae leviores obstant, quales sunt ad Qu. fr. I: 1^{7} *ut quendam . . . hominem* d, rell. : *quemadmodum* b solus; 1^{17} *de iis rebus ne quid attingat*] *nihil* b; 2^{14} *non satis ex litteris eius intellegere potuimus*] *cognoscere* b, aliae. Atque ex ep. ad Qu. fr. I: 2^{7} *litterarum missarum indiligentiam*, ubi librarii, qui codices E et d scripserunt, forte et casu in eundem errorem inciderunt: *indulgentiam;* II: 12^{1} *in illud ipsum mare deiciemus* b, rell. : *illum ipsum* d, id genus aliis — neque enim opus est congeriem exemplorum struere —, ex his igitur elucet, ne b quidem ex d pendere; unde sequitur, ut uterque sui iuris sit. Illud tamen constat, paulo meliorem esse d, quod progrediente disputatione magis etiam apparebit. — Iam relinquitur, ut

D. De lectionibus M^1 ms, bds, ms

pauca addamus. — a. Si bd eiusdem prosapiae sunt, id quod modo demonstravimus, et si Mbdms omnes vinculo quodam affinitatis continentur (Δ), sequitur, ut *Mms* inter se arte cohaereant. Ad quam rationem illustrandam ad duo illa p. 20 allata (ad Att. I: 14^5 II: 13^2) haec addo:

ad Brut. I: 17^7 *quae condiciones essent Atticae nostrae* M^3 bd Σ: *tacitae* M^1 ms. — ad Qu. fr. I: 2^{16} *horum regum odio*] *horum odio* (om. *regum*). II: 3^5 *Lentulum* om. 4^5 *atque* post *illam* om. 5^4 *ire*] *iste.* 13^1 *Litterae vero eius*] *tuae.* 15^3 *cum senatores et equites damnassent*] *clamassent.* III: 1^{11} *Poema . . ., quod institueram, incidi*] *composueram.* 1^{14} *vergit*] *vertit.* 5^2 *illos libros . . . esse relictos*] *redditos.* 9^4 *quod mihi polliceris*] : *nihil.*

ad Att. I: 1^1 *sine fuco ac*] *e* M^1 ms. 1^3 *mancipio* om. 1^4 *nunc*] *vinci.* 4^1 *utile*] *talem.* 13^2 *retinendam contra* om. 13^2 *qui nunc*] *quin immo* (*imo, ymo*). 14^1 *levissimus* om. — Tales discrepantiae in epistulis ad Quintum fratrem potissimum et in primo ad Att. libro inveniuntur, in ceteris rariores sunt (cfr v. g. V: 15^3 *plane* Amm. : *illa ne* M^3 bd GHNPCZ^b : *illa* M^1 ms).

b. De *bds* cum Σ contra M^1 m conspirantibus egimus p. 18; hic igitur alia quaedam trium illorum codicum propria ex libris ad Att. I—IV excerpta subiungam:

I: 20^2 *convertissem . . . fuisset* om. II: 1^5 *laborandum* : *elaborandum* bds — *sed soror . . . pedem dat* om. 4^1 *dicere* om. 7^3 *istorum inter istos dissensio*] *inter ipsos.* 11^2 *usque* om. III: 9^1 *altera acerbitate* M corr. m E : *alteram acerbitatem* M^1 Σ (praeter E) : *aliam acerbitatem* bds. 15^2 *ceteros quos* MmΣ : *ceteri quos* bds. 19^3 *me coactum* M^1mΣ : *mecum actum* M^{2s}_{c} bds. — *mihique*] *mihi.* 22^4 *et mei* MmGHP Pal. (EN desunt) : *mei* bds, vulg. 24^1 *alieniores esse velint* MmNP Pal. : *velint alieniores esse* bds (EGH deficiunt) — *vinclum*] *vinculum.* IV: 1^6 *Afranium* M corr. : *aeranium* M^1 m NOP Pal. (discrepantias parvulas non curo) : *herennium* bds. 8^2 *pegmata*] *poemata.* 13^1 *pote*] *potes.* 16^2 *quam* ante *institui* om. 17^7 *texerit* M^1 mNPCZ^1 : *texit* M^{2s}_{c} bds — *dicis* M m NP : *dices* bds. 18^4 *hercule* om. — *affirmat se vivo*] *se affirmat vivo* bds. — Praeterea non casu factum esse videtur, ut in bds vocabula graeca haud raro omissa sint vacuis spatiis relictis, ubi in MmΣ servata sunt; de qua re, cum ad rationem correctionum Medicei explicandam nonnihil valeat, suo loco infra agam.

Videmus igitur s, si a singularibus illis varietatibus discesseris, de quibus p. 16 mentio facta est, aut cum M[1] m aut cum bd conspirare, quod nihil admirationis habet. Illud vero nescio an magis mirandum sit, *ms* tot tamque gravibus locis inter se consentire:

c. ad Brut. I: 2[1] *cohortes* (ante *spero*) om. ms. 4 a[3] *subicies* Mbdm[2] Σ: *facies* m[1]s. 11[2] *perfuncturus*] *perfunctus* ms. 12[1] *a senatu esset*] *esset a senatu*.. 15[12] *tua* post *auctoritate* om. 16[2] *cuiusquam*] *cuiusque*. 16[4] *eius*] *eiusdem*. 17[1] *eum*] *ei*. 17[5] *instructissimum esse*] *instructissimum fuisse*. 17[7] *meae* om. 18[3] *praestare posse*] *praestare*.

Ex epistularum ad Quintum fratrem libro secundo haec affero: II: 1[1] *omnino*] *oratio* — *tamen* ante *agri Campani* add. 2[1] *cum* om. ante *Cincio* — *amittam*] *omittam* . 3[2] *ore*] *oratione*. 4[5] *propter* ante *Milonem* om. 5[1] *contionale* vulg.: *contionalem* M[3] Σ: *contionem* M[1] bd: *cautionem* ms. 11[2] *frequentes*] *sequentes*. 12[3] *persequare*] *prosequare*. 13[5] *habebant*] *habent*. 15[5] *ne Graeca quidem*] *graeca ne quidem*.

Eiusmodi varietates supersedeo ex libris I—VIII epp. ad Atticum afferre; pauca tantum ex libris IX—X addam: IX: 9[3] (*maius imperium*) *a minore rogari* MEP: *rogari a minore* bd (GHN Pal. deficiunt): *a minori creari* m: *creari a minore* s. X: 8 B[1] *proclinata* (*iam re*) MbdPC: *inclinata* ms (E abest). 15[2] *Marcellum cognovi timidiorem* MbdEP: *tardiorem* ms.

Sed de prosapiis Mm(s), bd(s), ms hactenus, praesertim cum de ratione, quae est inter eas, infra uberius disputaturi simus. — Praeter quinque illos Mbdms alios quoque eiusdem classis codices inspexi, quos aut compares illis esse inveni — velut lac lacti non similius est quam cod. Palatinus 1495 in bibliotheca Vaticana Berolinensi m est similis, et tamen utrumque sui iuris esse mihi persuasi — aut mixtam quandam memoriam praebere ut Ambros. 47 inf. A. Itaque non dignos putavi, in quibus examinandis operosum laborem consumerem, cum neque ad rationem codicum illustrandam neque ad memoriam constituendam adiumenti quicquam afferrent. Atque sic censeo, ex consensu eorum, quos elegi, veram imaginem classis Δ exprimi, ex comparatione, qui in stemmate locus Mediceo tribuendus sit, definiri posse: ipsum stemma vero non prius potest constitui quam alia quaestio ad exitum adducta erit, ad quam disceptandam nunc aggrediamur.

4. Ceteri codices ex M et m pendeant necne quaeritur.

In superiore disputatione de universa indole ac natura codicum Italicorum Σ et Δ ea potissimum breviter disceptavimus, quae certa et clara essent nec quicquam dubitationis habere viderentur. Nempe via strata, ut aiunt, ambulantes nihil aliud agebamus nisi ut ipsa res ratioque ostenderet, utriusque classis singulorumque codicum quid proprium esset. His igitur satis cognitis alia eademque contortior res diiudicanda est, quaenam ratio sit cum inter classes Σ et Δ tum vero inter M et reliquos. Ac nunc quidem magis etiam quam antea pedetemptim et gradatim, ut aiunt, progrediendum: neque enim eo, quo pervenire volumus, tritae semitae ferunt.

Ac primum quidem aptum videtur, quae cadant in disceptationem quasque sententias de his rebus nostris potissimum temporibus protulerint viri docti, breviter exponere.[1]

Ut ante aliquotiens significavi, inter Schmidtium et Lehmannum, quorum utrique sunt qui consentiant, magna fuit controversia, quanti M aestimandus esset quaeve ratio inter Mediceum et ceteros intercederet. Qui codex cum ante ab ipso Petrarcha, quem epistulas Ciceronis ad Atticum anno 1345 Veronae invenisse constat, scriptus esse crederetur, ceterorum omnium tamquam fons et parens habitus est. Nunc autem inter omnes constat, M paulo ante annum 1392 a mercennariis librariis e codice quodam Veronensi Mediolani descriptum esse in usum Colucci Salutati Florentini, in Gallia vero et Germania olim fuisse codices nunc deperditos (Y), quos sui iuris fuisse neque ex M fluxisse documento sunt fragmenta Wurceburgensia (W) et annotationes in margine editionis Cratandrinae (C); de codice Tornesiano (Z) varie iudicant, v. cap. II. Sed de libris Italicis Σ et Δ (=Ω) inter viros illos doctos valde disceptatum est. Schmidtius enim censet, Mediceum, quem e

---

[1] O. E. Schmidtius, 'Woch. f. klass. Phil.' IV (1887) p. 1014 sqq. 'Überlieferung' p. 81 sqq. 'Briefwechsel' p. 437 sqq. Mus. Rhen. LV (1900) p. 385 sqq. Philol. LV (1896) p. 695 sqq. — C. A. Lehmannus, 'Woch. f. klass. Phil.' IV: p. 506 sqq. 1403 sqq. VII (1890) p. 437 sqq. 455 sqq. Att. p. 176 sqq.

Veronensi Petrarchae ductum esse sibi persuasit, fundamentum esse rei criticae, ex M descriptum esse Berolinensem m, ex m plerosque codices Italicos (ut s) aut fluxisse aut saltem pendere, archetypum codicum EOPR Rav. Z — nam HN eximendos, Z addendum arbitratur numero eorum, quos consuevimus nota Σ designare — interpolatum fuisse atque e duobus libris contaminatum, quorum alterum ex apographo Petrarchae, alterum ex m profectum esse suspicatur, ob eamque rem codices illos in re critica exercenda summa cautione adhibendos. Ad quam rem illustrandam 'Briefwechsel' p. 452 hoc stemma constituit:



Contra Lehmanno persuasum est, esse codices Italicos, qui non ex M pendeant quique non minoris quam M aestimandi sint (Σ); m ex M descriptus sit necne, fatetur nescire, s propter quasdam lectiones cum Σ communes suae potestatis esse iudicat, apographum Petrarchae in Σ ponendum censet, M neque ex Veronensi illo neque ex apographo ductum esse, Z cum WC coniungendum. Ratio igitur librorum, si Lehmanno fides habenda est, hoc fere modo explicatur (Att. p. 179):



Equidem ut iam inde ab initio ostendam, quod exemplis luce clarioribus demonstrare posse confido, neque m ex M transscriptum esse neque ceteros (bdsΣ) ex M aut m pendere mihi persuasum habeo, archetypum Σ non modo non interpolatum aut contaminatum fuisse sed melius etiam quam Δ scriptum atque a fonte communi Ω propius afuisse, nihil denique afferri posse, cur M ex eodem codice Veronensi atque apographum Petrarchae duc-

tum esse credamus. Quae cum in rem videatur singula singulis paragraphis absolvere, primum de ratione, quae est inter Mediceum et reliquos codices, disputare in animo est.

A. Cod. Berolin. m ex Mediceo M non descriptum esse demonstratur.

O. E. Schmidtius sibi persuasit, m ex M anno 1408 a Poggio descriptum esse eo tempore, cum Coluccius correctiones lectionesque adiecisset (M^2, M^2 al., $M^2 c^s$), aliquot etiam varietates M^3 *l* nota signatas, quae Nicolao debeantur, in m transisse. Neque enim Poggium, ut qui esset homo satis sibi confidens et sagacitatis conscius, tamquam aliquem operarium M transscripsisse, sed suo ipsius iudicio usum e variis lectionibus, quas existimaret genuinas ac veras, elegisse, nonnumquam suas ipsum coniecturas pro traditis verbis substituisse.[1]

Haec universa ratio Schmidti non uno nomine incerta ac valde dubia videtur. Nam si hoc ad originem cuiusvis codicis demonstrandam sufficere videtur, in recentiore aliquo exstare non solum lectiones alterius, quae prima, secunda, tertia manu appositae sint, sed etiam varietates, quas quis levi bracchio agens coniecturarum instar putet, libidine, non ratione, agitur, nec quicquam obstare video, quo minus quemlibet codicem, modo aetate inferior sit, a quolibet ductum esse credamus.

---

[1] 'Überlief.' p. 83 sq.: 'Es kann wohl keinem Zweifel unterliegen, dass H (i e. cod. Hamilt. m) im Wesentlichen eine Copie des Codex M 49: 18 ist und zwar in der Gestalt, wie ihn Coluccio hinterlassen hatte... keine bloss mechanische Copie... Die Correcturen m. 2 ohne Vorzeichen hat Poggio... meist... aufgenommen... Auch Varianten *al'*, sowie *c^s*... hier und da... aufgenommen. Dann und wann... zur Conjectur gegriffen'. — 'Woch. f. kl. Phil. IV' (1887) p. 1018[2]: 'Eine genauere Vergleichung der mir bekannten *l'* und H (= Berolin. m) ergiebt, dass Poggio wahrscheinlich einige derselben benutzt hat, z. B. X: 10[5], wo Niccolo statt *vellunt* M^1 liest *l'velo*, ebenso hat H im Texte'. — In eadem sententia perstat 'Briefwechsel' p. 445: 'Ich behaupte... von neuem, dass H—B (i. e. Ham.-Berol. m) im Jahre 1408 von Poggio unter Zuthat eigener Konjekturen aus M abgeschrieben ist und erwarte von Lehmann, dass er, der sich mit M nicht beschäftigt hat, beweise, die Sache verhalte sich anders'. — Philol. LV (1896) p. 723: 'Lehmann ist natürlich, obwohl er das Verhältnis von M zu HB gar nicht untersucht hat, geneigt zu glauben, dass HB entweder nicht aus M abgeschrieben oder dass... noch eine andere Hd. von Poggio zu Rathe gezogen sei. Ich gehe auf diese Frage, die für mich und jeden, der nachprüfen will, entschieden ist, nicht von neuem ein'.

Ac nihilo magis exemplis, quae Schmidtius 'Überlief.' p. 83 elegit, satis comprobatur, quod comprobatum vult, artiore necessitudinis vinculo contineri M (M^2) et m, velut ad Brut. I: 11^2 *cupimus* M^1 Σ (sed *cupivimus* P) : *cepimus* M^2 c^s bdms. ad Att. I: 13^1 *victum eis* M^1 dmGNP Pal. Rav. : *victum ei* H : *victumeis* bs : *victimis* M^4 (E deest). 1^4 *nunc* M^3 bdΣ : *vinci* M^1 ms. III: 15^6 *quam in spem me vocas? sin autem* M^2 bdms EP Pal. (GH deficiunt) : *quam spem me notassem aût* M^1 : *quam spem me vocassem autem* N. IV: 1^2 *accumulandum* M^1 solus : *ad cumulandum* M^2 c^6 bdms Σ, aliis, quae non opus est singula percensere, cum praesertim et dispari genere sint et varie explicari aut possint aut debeant (velut id, quod postremo loco posui, in ceteris libris recte traditum est, in M^1 mendose transscriptum; unde nihil scilicet de ratione, quae est inter M et m, concludere licet).

Iam videamus, numquid adiumenti ad rem disceptandam afferant exempla, quae Lehmannus Att. p. 160 sq. perscripsit. Qui cum satis multos locos invenisset, ubi Berolinensis cum ceteris sΣ contra M conspirare videretur, cum illos ex M non pendere sibi persuasisset, m quoque sui iuris esse arbitrabatur. Quas discrepantias nihil aliud esse quam coniecturas Poggi ex m in s et Σ transmissas Schmidtius 'Briefwechsel' p. 445 sq. docet, et quidem audacius, ut mihi videtur, quam ad persuadendum accommodatius; v. p. 28. — Sed perincommode accidit, quod uterque vir doctus de Medicei memoria perperam iudicavit; quod quo facilius perspiciatur, Lehmanni exempla correcta iterum deliberanda dabo:

ad Att. I: 16^5 *gladiatorio ludo* M corr. bds GH : *ludo gladiatorio* ENOP Pal. Rav. : ~~*ludo*~~ *gladiatorio ludo* M : *ludo gladiatorio ludo* m. 16^8 *mea* M^1 H : *in ea* M corr., rell. VI: 1^{25} *haec ego* M. 2^5 *inambulando* M^1 : *inambulabam* M corr. (inductis litteris *-ndo*, suprascriptis *-bam*, quae post erasae sunt). VII 13 B^3 *quae tua coniectura* M. 18^1 *quoad* M. VIII: 7^1 *Domitius* M. 9^1 *qui* M^1 : *cui* M corr., rell. XIII: 25^3 *parcissimis* M^1 : *partis in iis* M^2, rell. 29^2 *nil* M^1 : *noli* M corr., rell. XIV: 8^2 *videbare* M^1 (*e* post eras.). XV: 27^1 *persequitur* M. XVI: 2^6 *dum omittito* M^1 : *domo mittito* M^2, rell. Restant igitur haec duo, X: 10^4 *tuae mihi* M : *mihi tuae* m, rell. XI: 15^4 ubi aegre diiudices, *hec* an *hoc* in M scriptum sit, cum simillima sint inter se et sescenties permutentur.

Ac discrepans ille positus vocabulorum X: 10^4 non multum valet, aliquanto plus momenti habet I: 16^5, ubi lectiones M^{1}m ad eundem ortum redire apparet; quin etiam adducor ad suspicandum,

in ipso Ω sedem vocabulorum incertam fuisse. Cetera exempla nihil valent.

Sed ne in eodem luto, ut aiunt, haereamus, quoniam eis, quae in utramque partem ante disputata sunt, nihil adiuvamur, rem denuo in quaestionem vocemus. Ac primum monitum velim, paulo simpliciorem ac minus impeditam exstare rationem, quam Schmidtius eam exposuit; quas enim sibi visus est invenire lectiones Berolinensi cum M^3 l communes, eas non Nicolao ascribendas esse sed ex eodem fonte atque correctiones M^2 manasse sine ulle dubitatione affirmare audeo (quod idem in eas lectiones cadit, quas Leonardum (M^4) ex m hausisse suspicatur 'Überlief.' p. 76, v. infra p. 49 sq.). Itaque nihil aliud nisi de ratione, quae est inter M^1 M^2 et m, nobis disputandum est. Ac de consensu M^1 m satis erit ad ea, quae p. 18 attulimus, delegare; correctionibus Colucci M^2 quomodo Poggius usus sit, quem tantisper Mediceum transscripsisse fingamus, breviter exponemus. Quem quid spectasse arbitramur, nisi ut textum emendatum praeberet et verba scriptoris, quantum posset, a corruptelarum sordibus purgaret? — Correctionum autem Colucci cum tria sint genera, M^2, M^2 al., $M^2 c^s$ (v. p. 43), ne in infinitum evadat quaestio, de quibusdam varietatibus M^2 al. breviter agam.

Recepit igitur Poggius, ut par erat, veras emendationes velut ad Brut. I: 6^3 *a Satrio, legato C. Treboni*] *C. Trebonii* M^2 al. m : *ĝ. tribuno* M^1 (ceterorum varietates hic non curamus). — ad Att. V: 6^1 *dies eos, quoad ille veniret, cum Pompeio consumere*] *quoad* M^2al. m : *quos ad* M^1; vitavit falsas atque ad M^1 rediit, velut ad Att. IV: 5^3 *tui pinxerunt constructione et sillybis* (*sittybis* Vict.)] *sit tybis* M^1m : *si scribis* M^2 al. V: 4^2 *ne quid ad senatum*] *ne quid* M^1 m : *ut quid* M^2al. — Ubi utrumque verum erat, elegantiorem lectionem eandemque difficiliorem elegit : ad Brut. I: 16^6 *dum . . . pati contumelias peius odero*] *odero* M^1 m : *duxero* M^2 al. — ad Qu. fr. II: 3^2 *cum omnia maledicta, versus denique*] *denique* M^1 m : *etiam* M^2al. I: 3^5 *ages scilicet, si quid agere posse . . . putabis*] *agere* M^1 m : *agi* M^2 al., vulg. — Talia igitur nihil habent, in quo offendamus, sed potius laude digna sunt. Illud vero nec cogitatione potest comprehendi neque intellegi, qua ratione ductus correctiones M^2 al. veras plane neglexerit, scripturas M^1, quae omni sensu careant, tenacissime tenuerit ad Qu. fr. II: 4^2 *quod Tyrannio docet*] *Tirannio* M^2al. : *Trannio* M^1m. 6^2 *mihi aqua haeret*] *aqua* M^2 al. : *a qua* M^1m. 7^2 *Byzantium*] *Bycantium* M^2al. : *be-*

lantium M^1 m (sed M^1 fort. *brlantium*). III: 1^5 *Tum is mihi respondit*] *tum is* M^2 al. : *feninis* (ut vid.) M^1 m. — ad Att. III: 6 *ad multa pertinuit, in eis ut*] *in cis* M^2 al. : *meis* M^1 m. IV: 15^4 *epilogo criminans mentes iudicum*] *criminans* M^2al. : *criminari* (*cru-*) M^1 m. ^{7} *qua pactione, epistulae committere non audeo*] *epistulae* M^2 al. : *epistulam* M^1 m. Quid, quod idem ille aliis locis primitivam scripturam eandemque veram sprevit, correctionem falsam festinanter arripuit, velut Att. IV: 9^1 *num censum impediant . . . diebus vitiandis* M^1 (sed *vici-*) : *initiandis* M^2 al. m. 15^7 *Faenus . . . factum erat bessibus*] *besibus* M^1 : *hesibet* M^2 al. m?

Atque hic tamen nullam rationem habui lectionum M^2 et M^{2s}_c, velut ad Qu. fr. I: 2^4 *quem scribis . . . tibi a me intime commendari* M^2 : *com(m)odari* M^1 m, quod cur servaret nihil sane erat; ad Att. V: 3^2 *Quam vereor, ne quid fuerit,* ubi m repudiatis correctionibus M^2al. *fiat* et M^{2s}_c *fuerit* contentus erat illo *fuerat* in M^1 tradito; recentiore demum manu *i* parvula superscripta est. — ad Att. VII: 26^1 *Caesaris edicta . . . respuuntur*] m cum M^1 consentit: *Caesar,* quod in hoc contextu orationis sensu caret; et tamen M^{2s}_c supra ascripsit *Caesaris.* Quid vero eiusmodi locis faciemus, qualis est ad Qu. fr. I: 1^{28} *isti generi . . . debere videmur, ut . . . apud eos ipsos, quod ab iis didicerimus, velimus expromere,* ubi m solus *volumus* habet, ceteri omnes *velimus*, sed M in loco raso manu Colucci correctum, ubi antea quid fuerit non liquet, nisi illud certum est, in *-us* vocem exisse (restat enim compendium ᵓ) et idem spatium explevisse, unde veri simillimum est, illud ipsum *volumus* fuisse? — Sed si rem universam spectes, Berolinensis cum lectionibus M^2 et M^{2s}_c consentire solet; quod cum ita sit, qua re factum esse videatur, ut in m tot tamque graves emendationes Colucci nota *al.* signatae desint, infra ostendere conabimur (v. p. 44).

Iam restat, ut de coniecturis pauca subiungamus, quarum ope menda sustulisse aut tradita emendasse Poggius existimatur. Qua quidem de re a Schmidtio valde dissentio; nam omnia fere, quae ille coniecturarum speciem prae se ferre arbitratur, ego e codicibus sumpta esse et sentio et mox exemplis demonstrabo. Etenim quod contendit, nisi argumentis demonstrari possit, ceteros codices aetate superiores esse, discrepantias Berolinensis a Medicei memoria arbitrio Poggi attribuendas esse,[1] id quo iure contendat, non video;

[1] Cfr 'Briefwechsel' p. 446: 'An diesen und ähnlichen Stellen' — agitur de locis, quos Lehmannus Att. p. 160 perscripsit, nos p. 26 tractavimus — 'werde ich, so lange mir nicht bewiesen ist, dass die anderen Hdn. älter sind, d. h. vor 1408 geschrieben sind, behaupten, dass Poggio . . . die Priorität gebührt'. — Etiam

fieri enim potest, etiamsi aetate inferiores sunt, et ut ex m non pendeant et primitivam scripturam servaverint. Illud vero mente comprehendi non potest, cur Poggius tot tamque gravia menda Medicei neque sustulerit neque emendaverit, si id egit, ut tradita in melius mutaret, velut cfr lectiones Δ sexto capitulo tractatas, M^1m p. 33, M^1 ms p. 21, M^2al. p. 27, sΣ septimo cap. allatas, sescenta alia, quae hic non opus est percensere, ne clara luce caecutire videamur.

Cum igitur manifestum sit, Berolinensem ex Mediceo non transscriptum esse, id quod progrediente disputatione magis etiam elucebit, ad aliam quaestionem eandemque propinquam cognoscendam transeamus, quaenam ratio sit inter *m* et ceteros (*bds*Σ).

B. Codices bds Σ ex m non pendere probatur.

Quod Schmidtius persuasum habet, ex M et m cum ceteros codices Italicos manasse, qui ad similitudinem Medicei prope accedunt (ut s), tum archetypum librorum EORPRav. (Σ) pendere,[1] eas rationes, quod ad classem Σ attinet, vel eo corruere apparet, quod Ambrosianus E utrique aetate praestat (p. 12). Cui rei non modo ratio scribendi litterarumve species indicio est; accedunt

---

alias mihi videtur vir ille doctissimus nomine coniecturae immodice abusus esse; velut 'Überlief.' p. 93 ad Att. V: 1^3 *etiam si qua fuerat ex ratione sumptus offensio,* ubi *sumptus* illud editionis Rom. (CΣ), cum Berol. *sumpta* praebeat, facili coniectura inventum esse ('beruhen auf naheliegende Conjectur') sibi persuasit neque illud consideravit, ob viciniam vocum *ratione* et *offensio* in Δ terminationem proximis adaequatam; ad Att. IV: 3^5 *si sentitur veiam obtulerit* Mm ab illo *si se uti turbae iam obtulerit* C Rav. ('Überlief.' p. 95) nihil distat, nisi quod aliter dispestae sunt syllabae (nam de permutatis *u* et *n, b* et *v* vix est, quod moneam). 'Briefwechsel' pf 451 ann. — De M^2 cs vide p. 46.

[1] 'Überlief.' p. 92: 'Daraus folgt, dass der Mediceus keinesfalls die directe Quelle der jüngeren italischen Überlieferung genannt werden kann...' p. 96: 'Nach alledem muss Poggio als der Vater der italischen Vulgata gelten'... 'Briefwechsel' p. 446: '... so zeigt sich, dass der Codex Urbinas = s... nicht mehr als unabhängig von M gelten kann, und auch für die andern Hdn. schrumpft das Beweismaterial auf ein Minimum zusammen'... Philol. LV: 723: 'Im Texte von M^1 hatte bereits Coluccio (M^2) Conjekturen angebracht (Überlieferung p. 40 sq.); diese wanderten um ein Beträchtliches durch Poggio vermehrt in den Text von HB (i. e. Ham.-Berol. m) und von da wohl auf verschiedenen Wegen nach Σ'. De lectionibus M^2cs, quas Schmidtius pro coniecturis Colucci habet, nos ex libris desumptas esse putamus, v. p. 46.

argumenta eaque gravissima, quae in ipsius rei vi ac natura posita sint, quae qui attentius perspexerit, neque bds neque vero Σ a Berolinensi profectos esse intelleget.

Primum igitur a lectionibus quibusdam codicum ms (cfr p. 22) propriis exordiar, quae aptae videntur ad demonstrandum, ex Berolinensi, etiamsi fons et origo esset Urbinatis, tamen bdΣ manare non potuisse. Qua quidem in re rationem non habebo, si qui sunt in ms leviores errores et manifesti, quos librarii codices bd et Σ transscribentes facili opera tollere potuerunt, velut ad Brut. I: 5^{3} QUI PETET CUIUSVE RATIO HABEBITUR, ubi ms *petit* praebent, MbdΣ *petet* (de M ante errarunt), 15^{1} *ut explicem, quae gerantur quaeque sint* . . .] *geruntur* ms, id genus alia (satis enim erit ex magno acervo duo vel tria exempla deprompsisse). Accommodatiores ad persuadendum sunt varietates hae: ad Brut. I: 2 a^{2} *Haec ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta* MbdΣ (sed P *edicta*): *dicta* ms. 15^{9} *Accedebat . . . ratio illa, quae etiam posteris esset salutaris* bdΣ : *posset esse* ms, in quibus vix offenderes, nisi elegantiora illa *edita* et *esset* suapte se natura commendarent (cfr etiam ad Qu. fr. II: 11^{2} *Actum est eo die nihil* MbdΣ (sed *in eo die* N): *illo die* ms. III: 8^{1} *ex optimi et potentissimi viri benevolentia* MbdΣ : *fortissimi* ms, ubi utrumque verum esse potuit). Sed persaepe correctoris rationes agnoscuntur difficultates tollentis aut corruptis medelam quaerentis, velut ad Brut. I: 2^{1} *litterae mihi redditae sunt a te plenae rerum novarum, maximeque mirabile, Dolabellam . . . misisse* . . .] *maxime* ms, ubi *maximeque* ceterorum consensu munitum nostrorum quoque temporum editoribus scrupulo fuit (cfr Müll. ad l.), quod idem cadit in 3^{2} *a qua* (scil. *multitudine*) *usque in Capitolium deductus . . . in rostris collocatus sum*: *ductus* ms. — ad Qu. fr. II: 2^{1} *Si condicio valde bona fuerit, fortassis non amittam* : *omittam* ms. 8^{1} *si in isto essem* ms : *esses* N : *essent* rell. III: 1^{2} *Neque enim . . . neque fere solet* ms, ubi posterius *neque* om. rell. 4^{1} *contentio preces*] *contentio precesque* ms. — ad Att. I: 12^{3} *eumque per manus servulae servatum et eductum* ms vulg. : *per manus sepru(l)l(a)e* M^{1} bd ΣCZ^{b} : *Serviliae* M^{4}. 13^{3} *postea rem ex senatus consulto ad virgines atque ad pontifices relatam*] *ad pontifices delatam* ms (om. *ad virgines atque*, quod a viris doctis nostrae quoque aetatis aut sperni aut emendatione depravari solet). V: 9^{1} *cum . . . epulati essemus Saliarem in modum* C: *alia rem* Mbd : *aliam rem* N : *familiarem* P (EGH deficiunt): *ilarem* m : *hilarem* s. 12^{3} *Nostra . . . negotia . . . amabo te explica* ms, edd. : *explicari* MbdNP (ceteri desunt). — Quodsi ex m ducti

essent ceteri, qua re factum esset, ut tam miro consensu non modo bd sed etiam Σ ad vetera illa redirent, cum praesertim difficiliora, interdum etiam depravata et corrupta essent? Quis est, quin videat, in MbdΣ tradita servata esse, in ms emendata?

Ex his igitur exemplis, quorum numero alia multa addi possunt, non id solum efficitur, ut bdΣ ab m(s) non originem trahant, sed illud etiam, ut codicum ms memoriae, etiamsi vera est, nullum sit pretium ultra emendationis probabilitatem. Neque desunt loci, ubi leviter corrupta in deterius mutata sint, velut ad Qu. fr. II: 11^1 *Mihi crede, in sinu est, neque ego discingor*, ubi Σ *discingor* praebet (nisi quod in P scriptum est *dicingor*) : *distingor* M^1 levissima permutatione litterarum *c* et *t* et tamen fide integra et auctoritate, cum ceteri primitivam scripturam varie deformaverint: *distringor* $M^2 {}^{s}_{c}$bd : *distinguor* ms; nonnumquam ms soli peccarunt, velut II: 1^1 *fuimus omnino ad CC* pro *omnino* in ms est *oratio* ex prava interpretatione compendii, quod est *oīo*, ortum; III: 2^2 *et cum*] *et tamen* ms. — ad Brut. I: 17^6 *cum regno et imperiis*] *cum regnis* ms.

Atque haec de consensu Berolinensis et Urbinatis dicta sunto; restat igitur, ut videamus, num s ex m ortus sit.[1] Quod quo minus putemus, cum alia multa obstant tum lectiones quaedam Berolinensis propriae, velut hae (priore loco reliquorum consensum ponam):

ad Brut. I: 6^2 *custodirique*] *custodiri* m. 9^1 *medeare* MbdΣ : *medicare* m : *meditere* s. 10^1 *externis*] *hesternis* m.

ad Qu. fr. I: 1^9 *latere in tenebris*] *latenebris*. ^{37} *neque te*] *neque &*. 2^{14} *in custodiam*] *in custodem*. 3^1 *me mortuum*] *mortuum me*. 3^6 *velim*] *velint*. II: 2^3 *extracta*] *tracta*. 5^3 *eo die cenavi*] *eo dienaui*. 11^4 *volutatum* M corr. bds EP Pal.: *voluntatum* M^1GH : *voluptatum* N : *uoluatum* m. III: 1^8 *litterasque* MbdΣ (sed *litteras quas* Pal. : *litteras quam* P) : *et* s : om. m. ^{19} *ante* om. m. 8^1 *reserventur* M^3Σ : *serventur* Mbds (de M Baiterus errat) : *struentur* m.

Att. I: 18^1 *mera*] om. m : *mea* rell. II: 16^1 *primum ex eo*] *proximum*. 24^2 *insinuavit in familiaritatem*] *in sinu aut in fami-*

---

[1] Lehmanno persuasum erat, s ex M non fluxisse, velut cfr 'Woch. f. kl. Phil.' IV (1887) p. 508: 'Wäre etwa s aus M geflossen, aber ein Mittelglied x nach andern Hss. verbessert worden, so würde sich eine Menge Fragen erheben, die schlechterdings keine Lösung finden konnten, z. B. warum nur an einigen Stellen Verbesserungen angebracht wurden, warum nicht immer an den wichtigeren, warum manche Konjektur statt der richtigen Lesart Einlass fand, warum der Schreiber von x trotz alledem den Eiertanz zwischen den Lesarten verschiedener Hände in M so geschickt ausgeführt hat'. Quod Schmidtio non probavit, cfr 'Briefwechsel' p. 446. — Equidem de ratione, quae est inter Mm et bds Σ, cum infra p. 32 sq. disputaturus sim, nunc de m tantum agam.

liaritate MbdsΣ : *in sinu atque in familiaritate* m. III: 7^2 *in eundem luctum vocem*] *locum.* 15^7 *quoniamque* EN : *quoniam que* O^1P : *quoniam quem* M^1 : *quoniam quom* (*cum*) M corr. bds GH Pal. O^2 : *quando quidem* m. IV: 1^2 *complexum*] *amplexum.* 6^2 *libet*] *libeat* M^1 : *licet* H : *debet* m. V: 14^2 *spero meos* m : *spero eos* M^2 bds N : *per meos* M^1P (EGH deficiunt). 21^{13} *nihil . . . dici potest* m : *posse* M bd N : *posset* sP (EGH desunt). VI: 1^2 *ad me ex itinere*] *in itinere ad me.* ^{13}*causam meam*] *nostram.* VII: 7^7 *assentior*] *assentiar.* 13^2 *nihil esse timidius*] *tardius.* VIII: 2^3 *diripiendam et inflammandam*] *inflammandamque.* 12 B^1 *contractis nostris copiis*] *coniunctis.* 13^2*nihil . . . curant nisi agros, nisi villulas, nisi nummulos suos*] *nisi agros* om. m. IX: 7 B^2 *ipse*] om. m. ^{2} *prius tuae dignitatis quam suae utilitatis*] *prius tuae dignitatis* (om. *quam suae utilitatis*) m. X: 4^1 *a te accepi epistulas*] *litteras.* 7^3 *spero*] *video.* — His locis b solus cum m conspirat : XI: 6^1 *faciendum*] *fugiendum* bm. 12^3 *congressus*] *ingressus.* XII: 14^3 *de maerore minuendo*] *dolore.* 21^5 *afflicti et fracti animi*] *afflicti animi* (om. *et fracti*).

Haec omnia ideo perscripsi, ut omnem tollerem dubitationem, quid de indole ac natura Berolinensis iudicandum esset; quae qui perpenderit, intelleget, m neque posse originem esse ceterorum nec quicquam cum eis habere commercii. Etenim si ab erroribus manifestis discessimus (ut Brut. I: 10^1 Qu. fr. I: 1^9 II: 5^3), qua re factum sit, ut ad Att. VIII: 13^2 IX: 7 B^2 (XII: 21^5) voces interciderint, luce clarius est, neque tamen erat his quidem locis manca oratio. Quid, quod lectiones Berolinensis non deteriores sunt ad Att. III: 15^7 VI: 1^{13} X: 4^1 (XII: 14^3) al. ll., ubi ei nimirum codici idem contigit, quod unicuique ceterorum, ut hic illic synonyma pro traditis substituerentur, nonnumquam etiam meliores, ut Att. V: 14^2?

Cum igitur satis demonstratum esse videatur, neque m ex M neque ceteros ex m ductos esse, extremum illud est, ut videamus, possitne Mediceus esse parens codicum bds simulque constituamus, qui stemmatis locus libro illo clarissimo tribuendus sit.

C. Quae ratio inter M^1m et ceteros codices intercedat demonstratur.

Quod de M^1 quaestionem instituere volumus omissis varietatibus M^2 et M^3, id consulto factum est. Etenim si ex Mediceo profecti sunt bds, postquam lectiones a Coluccio et Nicolao adiectae sunt, non potest intellegi, qua re ducti librarii tot tamque bonas emendationes neglexerint, malas receperint, velut ne sine

exemplis disputemus, ad Qu. fr. II: 4^2 pro eo, quod M^2al. ascripsit: *Tirannio*, in M^1bdm est *trannio*, in s *traninio;* neque magis M^3 curarunt III: 1^{13} *scripsisti*] *scribis isti* M^1bdms, ad Att. I: 5^6 *usu capi posse*] *usucepisse;* contra falsas lectiones est ubi receperint, quales sunt IV: 9^1 *vitiandis*] *initiandis* M^2al. bdms, I: 13^3 *fert et fert*] *fert et effert* bd cum M^3, 20^7 *agit*] *aget* M^3bds. Lectiones M^1m autem coniuncte volui examinare, ut ostenderem, id quod quis forsitan ex exemplis p. 18 sq. allatis ante suspicatus sit, in codice quodam, unde ambo pendent, multa olim mendose scripta fuisse, multa excidisse, in ceteris libris primitivam scripturam conservatam.

ad Brut. I: 16^7 *Cum vero iudicas . . ., nimium magnam mercedem statuis* M corr. bd Σ : *nimiam magnam* M^1m pervulgato sane errore accommodata terminatione prioris vocis ad posteriorem : *nimiam* (om. *magnam*) s.

ad Att. I: 1^3 *Dies fere nullus est, quin . . . domum meam ventitet* M^3bd Σ : *veniret* M^1m, quod soloecum est : *veniat* s solito more emendatum neque tamen in genuinam ac pristinam elegantiam restitutum. — Idem cadit in 9^1 *Itaque* M^3bd Σ : *idque* M^1m (de permutatione figurarum *idque*, *itque*, *itaque* cfr Vahlenus ad Leg. II: 8^{19}): *ideoque* s. — His igitur locis archetypum Urbinatis cum M^1m conspirasse videtur; cfr ea, quae p. 21 de lectionibus M^1ms disputavimus.

ad Att. III: 8^1 . . . *scripseram . . ., quas ob causas in Epirum non essemus profecti, quod et Achaia prope esset plena . . . inimicorum et exitus difficiles haberet.* Pro eo, quod in archetypo erat : *prope esset plena*, quod totidem litteris in Σ transscriptum est, Mm habent *prope est et plena*, quae scriptura librario cuidam compendium *ēet* perperam interpretanti assignandum videtur (fort. Δ). Ceteri codices eiusdem familiae varie emendarunt : *prope est plena* bd : *plena est* s.

ad Att. III: 8^4 Cicero dicit, se eam epistulam dedisse *IIII Kal. Iunias* (M^3bds Σ). Quod in M^1m exaratum est : *IIII Kal. Maias*, quantum auctoritatis habeat, vel illud indicio est, quod ab ipsa rerum serie abhorret; nec quemquam fugit, quam saepe dierum notae mendose descriptae sint (velut ad Att. III: 20^3 Sternkopfius 'Woch. f. klass. Phil.' XII (1895): 1226 felici eademque certa emendatione, de qua recentiores editores mentionem nullam fecerunt, *IIII Kal. Oct.* restituit pro eo, quod traditum est : *IIII Non. Oct.*).

Atque hic unde natus sit error, facile deprehenditur : aberravit enim oculis librarius eius codicis, ex quo M^1 et m

pendent, ad proximum versum ep. 9^1, ubi hoc est: ... *ante Kal. Maias.*

Neque secus iudicandum videtur de ep. ad Att. IV: 18^4 *Cato tamen affirmat, se vivo illum non triumphaturum* $M^2 c^s$ bds Σ : *non triumphare* M^1m. Infinitivus praesentis in eiusmodi sententiis verbo affirmandi adiunctis et a consuetudine priscorum scriptorum alienus est (cfr ea, quae de futuri usu egi 'Futurum im Altlatein.' p. 31 sq. 57 sq.) et a Ciceronis more abhorret (etsi fuerunt, qui hoc ipso loco confisi necdum satis cognitis librorum testimoniis hunc infinitivi usum Ciceroni obtrudere conarentur, v. Haasium in 'Reisig's Vorles.' ann. 452; nam ad Att. II: 6^2 *Quando te proficisci istinc putes, fac ut sciam*, et alia eius generis diversa sunt). Sed paulo ante in eadem paragrapho sunt haec: ... *vult a. d. IIII Non. Nov. triumphare,* unde librarius quidam, praesertim cum *non* et *nou* nihil inter se differant, *non triumphare* ascivit et pro vero illo *non triumphaturum* substituit.

Diximus de erroribus oculorum: est etiam, ubi librarii verba non satis expresserint aut suis quasque litteras sonis enuntiaverint, unde ortae sunt permutationes *si licet* : *scilicet*, *aestimare* : *existimare*, *hesternis* : *externis*, sim., obscurata littera *c*. Idemque cadit in ep. ad Att. III: 12^2 (agitur de oratione foras prolata): *Sed quia ... et quia scripta mihi videtur neglegentius quam ceterae, puto ex se probari non esse meam* M^3bds EGH Pal. : *puto esse probari* M^1m : *puto posse probari* M^4NP vulg. Quid in archetypo fuerit, ex consensu codicum Δ (nam scripturam librorum M^1m ab eadem origine repetendam esse apparet) et EGHPal. collegi potest, unde simul apparet, editores emendationi Leonardi (M^4) nimium tribuisse, qui et alias saepe (cfr p. 55) et hoc loco leviter corrupta in deterius mutavit; neque multum valet contra ceterorum consensum varietas librorum NP sive ex fonte quodam communi orta sive, ut mihi videtur, proprio Marte excogitata. In structura *ex se probari* ne quis haereat, cfr similes has: de Fin. II: 26^{83} *quae faciat amicitiam ipsam sua sponte, vi sua, ex se et propter se expetendam;* de N. D. II: 12^{32}. III: 14^{36}. — ad Att. I: 17^5 *Mihi enim perspecta est et ingenuitas et magnitudo animi tui* M^3 bds Σ : *integritas* M^1 m. Ciceronis usum utrumque recipere nemo est, quin videat; sed in archetypo scriptum fuisse *ingenuitas* consensus plurimorum codicum Italicorum cum transalpinis CZ^1, de quibus capite II disputabimus, comprobat. Discrepantiam autem inde ortam esse veri simile est, quod in parente illo Medicei et Berolinensis pro voce, quae est *ingenuitas*, alia eodem fere sensu praedita substituta est,

quod persaepe factum esse videmus (velut ad Qu. fr. I: 1^{8} *continentiaque*] *abstinentiaque* bd. ad Att. VIII: 12 B^{1} *contractis*] *coniunctis* m. III: 10^{3} *obiurgatione*] *reprehensione* s. ad Qu. fr. I: 1^{8} *integritate*] *dignitate* E. ad Att. I: 5^{1} *consuetudine*] *necessitudine* H. 14^{4} *gravitate*] *dignitate* N. 20^{1} *mansuetudinis*] *humanitatis* P. II: 1^{12} *perferantur*] *mittantur* Pal. Rav. XI: 5^{4} *aversissimo*] *acerbissimo* W) et quidem saepe ita, ut vox inusitatior tritiore ac pervulgatiore permutata sit. Ac vocis *integritas* quidem nuper defensor exstitit J. S. Reidius, vir doctissimus (Hermath. XXX: 104), quam veram esse vel ea de causa censet, quod Ciceroni in deliciis sit, altera aliquanto insolentior: quae ratio per se ipsa, etiamsi librorum memoria minus certa esset, varietatem *ingenuitas* commendat. Eadem ratio esse videtur V: 21^{11} *cum ad me Salaminii venissent et una Scaptius* M^{3} (sed del.) bdsGNP : om. H : *in iis* (*his*) M^{1}m, vulg. — ad Att. II: 1^{12} . . . *omnes libros* . . ., *si me amas, cura ut conserventur e t a d m e p e r f e r a n t u r.* 22^{5} . . . *cohortatione non indiges* : *quid mea voluntas*, *q u i d t e m p u s*, *quid rei magnitudo postulet, intellegis*. In M^{1}m desunt *et ad me perferantur* et *quid tempus*, neque tamen manca est oratio, ut defectum suspicaremur, nisi ceteri codices praesto essent. Priore igitur loco propter eandem terminationem *-ntur* intercidit tota sententia, posteriore alterum membrum in serie, nisi forte M^{1}m solos verum servasse opinamur, reliquos omnes (M^{3} bds Σ) interpolatos esse.

Aliquanto difficilius est iudicium diversae collocationis verborum, qua nulla frequentior est codicum discrepantia. Conspicuus est error ad Att. II: 1^{5} *Noctu introisti; i d e m a n t e. N o n e s t itum obviam*] *idem non est ante itum* M^{1}m. V: 19^{1} . . . *Roma celeriter — hui tam l o n g e ! — m i h i litteras reddidit*] *mihi longe* M^{1} m, sed VII: 13^{4} *q u o d e t i a m a t e m a g i s exspecto*, nisi M ad similitudinem reliquorum correctus esset, in positu *a te etiam magis* (M^{1} m) non offenderes. Atque II: 19^{1} legendum esse: *Me miserum! cur non ades? nihil te p r o f e c t o praeteriret* non modo consensus codicum M^{3} bds Σ (-N) suadet verum etiam consuetudo Ciceronis, quem sic solere enclitica collocare ostendit Wackernagelius, 'Indog. Forsch.' I: 406 sqq.; *nihil profecto te* M^{1} m, vulg.

Satis iam disputatum esse videtur de lectionibus codicum M^{1} m propriis; restat, ut breviter enumerem exempla quaedam errorum manifestorum, qui ad rem, de qua agitur, illustrandam aliquantum valent. Velut voces vel syllabae prave separatae vel coniunctae sunt ad Qu. fr. III: 3^{1} *illa cura s o l l i c i t a t a n g i t q u e* M corr.

bd N : *sollicitat tangitque* s Σ (praet. N) : *sollicita tangitque* M^1 m. ad Att. I: 11^3 *summum me eorum*] *summum meorum* M^1 m. III: 19^1 *in Asiam ire nolui*] *revolui.* V: 10^5 *Valde me Athenae delectarunt urbe dumtaxat* M^3 bd GN Pal. : *urbem* H : *urbs* s P : *turbe* M^1 m. VII: 5^3 ... *hoc tempore; devium est*...] *tempore redevium* M^1 m. — Excidit *in* post *-m* ad Brut. I: 5^3 *cum in Cappadocia*] *cum* Mm (tamquam insiticium *in* addunt edd.). ad Att. V: 21^2 *bellum impendet*] *pendet* M^1m. — Exitus vocabulorum finitimis exaequantur ad Qu. fr. III: 8^4 *rumor* ... *iniucundus bonis*] *in iocundis bonis* M^1 m. ad Att. V: 13^3 *ecquid iudiciorum status aut factorum aut futurorum*] *statutorum* M^1 m.

Haec igitur et id genus alia indicio sunt, etiamsi m ex M transscriptus esset, quod fieri non potuisse paulo ante vidimus, tamen ex M^1m non modo Σ sed ne bds quidem pendere: qui omnes sui iuris sunt. Scripturam igitur archetypi (Ω) libris bds et Σ proditam in codice quodam, unde apti sunt M^1m, aliquotiens depravatam esse apparet, id quod nihil admirationis habet in omnesque codices utriusque classis cadit. Atque sic demum Mediceo illi clarissimo is tribuitur honos, quo maior nullus haberi potest, ut suus sibi locus in stemmate, quem iam diu frustra postulat, reddatur: est enim unus ex multis ille quidem et tamen praestat ceteris eiusdem familiae Δ codicibus, id quod magis etiam elucebit, si de correctionibus prius disseruerimus.

Illud denique restat, ut stemma codicum Mbdms constituamus vel potius adumbremus: etenim ex archetypo Δ tam numerosa proles propagata est tamque multiplex varietas codicum exorta, inter quos diu erat vicissitudo et commercium dandi accipiendique, ut contorta sane atque implicata evaserit ratio. Atque librorum Mbdms, quos exempli gratia protulimus, haec ratio est, ut perquam raro inter se consentiant Mb, Md, Ms, bs, ds, bm, dm, persaepe Mm(s), bd(s), ms: quod sic fere licet delineari:



5. De Mediceo M eiusque correctionibus.

In superiore disputatione de M^1 deque correctionibus variis manibus ascriptis cum iterum et saepius mentio illata sit, relinquitur, ut eam quaestionem universam percenseamus atque ad exitum adducamus. In quam rem difficilem inquirentibus peropportune nobis contigit, ut probo et certo duce uteremur libro O. E. Schmidti insignis doctrinae, qui 'Die handschriftliche Überlieferung der Briefe Ciceros' inscribitur (Lips. 1887), quo coniecturis inanibus omissis opinationibusque, quibus ante a vero abducebantur, refutatis nova eademque certa ratione ad disputandum ingressus est. Hoc eo libentius praedicandum putavimus, quod a Schmidtio, cuius iudicio in his rebus multum tribuendum est, saepius nobis dissentiendum esse vidimus; etenim nobis licuit Mediceo diu ac multum uti, in eoque codice examinando, ut par erat, aliquantum temporis ac laboris consumpsimus. Sed multa tamen nos imperfecta reliquisse scimus viroque illo doctissimo prorsus assentimur in quaestionem de correctionibus his verbis ingredienti (l. l. p. 10): 'bei so verwickelten Untersuchungen kommt die Wahrheit oft nur stückweise ans Licht, und so bilde auch ich mir nicht ein, alle hier zu berührenden Rätsel lösen zu können, dem Einzelnen muss es genügen, einen tüchtigen Schritt vorwärts getan zu haben, und er muss sich freuen, wenn sein Werk von Späteren ergänzt oder berichtigt wird'.

A. De manu prima M^1

ad ea, quae Schmidtius, Medicei fata quae olim fuerint l. l. p. 3—5 praefatus, uberius egit p. 5 sqq., pauca habeo, quae subiungam.

Ac primum quidem Schmidtio assentior, laudandos esse librarios illos indoctos, qui M descripserunt, quod primitivam scripturam, quamvis licet mendosa fuerit, nullis coniecturis temptarunt aut in peiorem partem mutarunt. Quin etiam varias archetypi lectiones religiose transscripsisse videntur, quarum aliquot *al'* nota designatas annotavit Schmidtius p. 31; eiusdem generis sunt haec: ad Att. IV: 10^1 *lucrinensibus*] — Quid M^1 habuerit, non liquet, nam litterae *-cri-* in litura sunt: *al' lucrinensibus* M^1 in marg. 15^1 *vinctus* M^1 in textu : *al' iunctus* M^1 in marg. ^{4} *condemnatus*] *al' comendatus* M^1 in marg. 16^7 *insiam* M^1 in textu (corr. M^2) : *al' in Asiam* M^1

in marg., alia. — Quod vir ille doctissimus ad Brut. I: 1^2 *tibi amicissimum ~~indicas~~ existima* (del. M^1) eodem relatum vult, subdubito; fieri enim potest, ut error voci *iudicare*, quae paulo ante est (... *facilius iudicare possum* ...), acceptus referendus sit, sive animo inhaerebat vox illa sive oculis aberravit librarius (velut cfr M ad Brut. I: 4^2 *Quod ~~quidem~~ enim nondum* ... *Illud quidem non* ... 15^3 *Tu hoc; alius fortasse, quod in animadversione poenaque ~~alius fortasse~~ durior*, *nisi* ... 16^8 *is sum*, *qui non modo non supplicem sed etiam coerceam ~~supplicantes~~ postulantes, ut sibi supplicetur*). Sed hoc minoris momenti est; plus valet, quod in margine exstant manu prima ascriptae annotationes ad argumentum spectantes, quales sunt hae: f. 8 r (ad Brut. I: 15^3) *Solon solus ex septem legifer*, f. 10 r (16^5) *Nõ quod Brutus dicit se occidisse Caesarem*, fol. 21 v. (ad Qu. fr. I: 1^{43}) *hic comendat providentiam futurorum*, 119 v. (ad Att. VII: 13^3) *Timiditas Ciceronis* M^1 : *imo honesta sollicitudo* M^3, id genus alia, quae nihil est, cur librariis illis tribuamus. V. infra ad Att. IV: 4 a^1.

In primis epistulis ad Brutum aliquotiens *et* particulam initio comprehensionis positam, cum neque intellegi possit neque sensum habeat, in locum notae cuiusdam distinguendi perperam interpretatae successisse Schmidtius suspicatur. Quod mihi quoque veri simile ac prope certum videtur; est enim nota hac fere figura: 7, ⁊, qua non modo distinguitur (ut ad Qu. fr. II: 4^6 *quia* ... *paene damnatus est* ⁊ *vident damnatum*, 6^1 *n͡ra* *eram ante*, ubi nota erasa est), sed etiam *et* saepissime designatur. Atque eiusdem erroris vestigia in ceteris quoque codicibus deprehenduntur: ad Brut. I: 13^2 *impetrare. Quid*] *impetrare. Et quid* N. ad Qu. fr. II: 4^6 *exempti. Appius*] *exempti et appius* bd. ad Att. III: 7^1 (*Kal.*) *Maias. Eo die*] *Maias* ⁊ *eo die* M (qui ⁊ expunxit , addidit) : *maias. & eo die* m. 22^2 (*in illius*) *potestate. De*] *potestate et de* M^1 m P. IV: 18^5 *flagitabit. Abs te*] *flagitabit et abs te* Pal. Rav. P (= Φ); discrepant inter se Σ et Δ ad Brut. I: 2^2 *Tuum* Σ : *et tuum* Δ. 2^4 *Id* Σ : *et id* Δ. 6^1 *Scripsi* Σ : *et scripsi* Δ; ne Ω quidem eiusmodi erroribus liber fuisse videtur, quoniam ad Att. III: 9^2 in omnibus libris scriptum est ... *facile perspicio et quae quidem tamen* ... pro eo, quod verum esse apparet, *perspicio; quae quidem* ...

Quae cum ita sint, cavendum est, ne nos *et* illud in fraudem inducat; velut ad Brut. I: 3^1 *Caesaris vero pueri mirifica indoles virtutis. Utinam tam facile* ..., ubi M^1 solus praebet *virtutis et utinam*, plurimi editores Bücheleri emendationem nimis festinanter

arripuerunt: *virtutis est. Utinam* (Btr., Müll., Purs.). Ac nescio an idem in ep. ad Att. I: 4^3 cadat, ubi potius scriptum fuisse crediderim: *Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum. Est ornamentum Academiae proprium meae . . .*, quam quod nunc vulgatur: . . . *per mihi gratum est. Est ornamentum . . .*; *gratum est et ornamentum* Mbd Σ (praeter EH): *est* ms : *et* H : om. E. Fieri enim potest, si in re incerta coniectare licet, ut a librario aliquo, qui in hoc *per mihi gratum* (omisso *est*) haereret (quod neminem offendet, qui talia comparaverit: ad Att. VI: 1^{13} *quod . . . commendas, valde gratum*, similia, quae cum infra uberius tractaturus sim, satis erit genus significasse), *est* ad *gratum* traductum sit, post distinguendi nota in *et* abierit. — De ep. ad Brut. I: 1^1 vide pag. 48.

Sed ad M^1, unde aberravit, redeat oratio: quem cum mendosissime descriptum esse multi clamitaverint, iterum monitum velim, in parente codicum M^1 m multa, in ipso Δ haud pauca prave exarata fuisse, quod et ex superiore disputatione elucet et infra pluribus demonstrabo, M^1 denique ipsum, quantum iudicare possumus, veram effigiem atque imaginem sui parentis referre. Ac de ipsa origine Medicei quid compertum habeamus, quid opinari liceat, iam breviter comprehendamus.

Lehmannus sibi persuasit lectionibusque allatis demonstrare studuit (Att. p. 163 sqq.), neque ex apographo Petrarchae ortum esse Mediceum et apographum in Σ ponendum esse, de ipsius Veronensis natura, cum codex ille perierit nec satis constet, quanta diligentia Petrarcha in describendo usus sit, melius esse iudicium cohibere. Schmidtius contra contendit ('Briefwechsel' p. 448 sqq. Philol. LV: p. 720), M non ex apographo fluxisse illum quidem sed ex ipso Veronensi, ex quo effici, ut Petrarchae apographum et Mediceus M gemelli sint, quod idem Tyrrello et Pursero probasse videtur (cf Tyrr.-Purs. in ed. mai. I^3: p. 101 'In reply, Pasquino sent him (i. e. Coluccio) a copy, apparently from the Veronensis . . . and this copy is the Mediceus 49, 18 M'; Purs. in praef. ed. min.: 'M = codex mediceus XLIX: 18 sine dubio a Veronensi transscriptus . . .'). Ad quam rem diiudicandam aptum est ab eis proficisci, quae de fatis Medicei deque apographo Petrarchae comperta habemus.

Si quid ex ep. Petrarchae Ciceroni data (Epistulas tuas diu multumque perquisitas atque, ubi minime rebar, inventas avidissime perlegi . . . Aeternum vale, mi Cicero. . . . in civitate Transpadanae Italiae Verona. XVI Kal. Quint . . .

1345) concludere licet, Petrarcham a. 1345 codicem epistulas Ciceronis continentem invenisse atque eodem, ubi invenit perlegitque, loco epistulam Ciceroni laetitia recenti perfusum dedisse veri simile est.[1] Atque epistulas ad Brut., ad Qu. fr., ad Atticum, non miscellas, quas postea familiares appellare mos erat, Petrarchae notas fuisse constat;[2] quas epistula Nerio Morando a. 1358 vel 1359 data se ipse transscripsisse testatur: Est mihi, inquit, volumen epistolarum eius (i. e. Ciceronis) ingens, quod ipse olim manu propria, quia exemplar scriptoribus impervium erat, scripsi...[3] Utrum codicem totum atque integrum transscripserit, quod mihi quidem veri simillimum videtur, an epistulas quasdam excerpserit, difficile est diiudicare[4] neque multum ad rem, quae agitur, valet; sunt, qui Petrarcham duobus codicibus usum esse putent, et pleno atque integro et amputato.[5] Neque constat, quid vetusto illo codice, quid apographo factum sit, nisi quod videntur non multo post periisse. Nam triginta fere annis post Coluccius, cum ab amico Broaspinio Veronensi petisset, ut sibi ex bibliotheca Petrarchae (anno 1374 emortui) Propertium, Catullum, Ciceronis epistulas, Africam Petrarchae procuraret,[6] Propertium, Catullum, Africam accepit, epistulas frustra concupivit. Neque tamen dubium est, quin Broaspinius amico petenti satisfacturus fuerit, si facultatem habuisset apographi emendi aut illius vel codicis vetusti describendi. Atque apographum quidem secum Venetiam deportasse Petrarcha videtur, cum a. 1362 eo migravit,[7] codex autem vetustus ac senio obrutus[8] non multo post quam transscriptus erat periisse.

Sed Broaspinius ille corpus sexaginta fere epistularum possidebat, quarum amico Coluccio copiam fecisse consentaneum est,[9] de quarum origine ac natura nihil pro certo affirmare audemus

---

[1] Cfr Viertelius, 'Die Wiederauffindung von Ciceros Briefen durch Petrarca', p. 7 sqq. Hofm.-Sternk. in praef. epp. sel. p. 15 sqq.

[2] Viertelius l. l. p. 11 sq.

[3] Viertelius l. l. p. 12.

[4] Leightonius, The med. mss. of Cic:s letters, 'Transact. Am. phil. Ass.' XXI (1890) p. 66 sqq.

[5] Lehm. Att. p. 172. Viertelius l. l. p. 24.

[6] Verba ipsius haec sunt: Ciceronis epistulas, ut alias dixi, omnes vellem, et libri quantitatem rogo notam facias. Hauptius Opusc. I:279 sqq.

[7] Viertelius l. l. p. 26.

[8] Petrarcha De re publica optime administranda = Opp. p. 419 ed. Basil. 1554: Saepe etiam ipse mihi gratiam habui, qui tibi illam epistolam (= ad Brut. I: 16) ...oblivione senioque obrutam renovassem. G. Voigtius, 'Die handschriftliche Überlieferung von Cicero's Briefen' p. 47.

[9] O. E. Schmidtius, 'Überlieferung', p. 23 sq.

(v. tamen p. 43). Ac sedecim demum annis post Coluccius certior factus, codices quosdam Vercellis et Verona Mediolanum missos esse, impetravit, ut sibi collectio plena epistularum Ciceronis transscriberetur, quas epistulas miscellas (ad familiares) ex ipsius verbis Pasquino Cremonensi gratias agentis fuisse apparet: Sentio quidem, inquit, epistolarum Ciceronis plurimum abesse putoque quod has habueris ab ecclesia Vercellensi, verum compertum habeo quod in ecclesia Veronensi solebat aliud et epistolarum esse volumen, cuius, ut per aliquas epistolas inde desumtas, quas habeo (fort. sexaginta illas), et per excerpta Petrarchae (i. e. verba Ciceronis a Petrarcha in Vita Caesaris laudata, velut cap. XX § 23 ep. ad Att. VIII: 11^{1-3}) clarissime video, quod inter has penitus nihil extat. Quam ob rem ut integre possim omnes habere te... deprecor et obtestor, quod illas etiam inquiri facias et... exemplari, ut omnes... consequar epistolas Arpinatis.[1] Paulo post epistulas ad Brut., Qu. fr., Att. describi certior factus his verbis gratias egit: Nunc autem quanto perceperim gaudio, deus testis, te Ciceronis epistolas de Verona meo nomine exemplari iussisse. Gratias ago diligentiae... rogoque, ut quam primum mittas... Brevi post anno 1392 ipsum codicem (Med. XLIX: 18) accepit.

Haec fere de fontibus Medicei et apographi Petrarchae comperta habemus, ex quibus nimirum nullo pacto concludere licet, quod tot tamque doctos viros sibi persuasisse non possum non magnopere mirari, Mediceum et apographum Petrarchae gemellos esse atque ex illo Veronensi, quem Petrarcha invenit, ambo descriptos. Etenim si candide et sincere, non occupata mente, iudicamus, fatendum est, fieri potuisse, ut hic dicendi modus, quo Coluccius usus est: in ecclesia Veronensi (solebat aliud et epistolarum esse volumen), (quas scio fuisse) in ecclesia Veronensi; Ciceronis epistolas de Verona, quorum quod postremo loco posui momentum fecisse videtur, nihil aliud esset nisi nota quaedam ac significatio collectionis vel corporis epistularum ad Brut., Qu. fr., Att.,[2] quas ante (anno 1374) epistolas Cice-

[1] Hauptius Opp. II: p. 113. Viertelius l. l. p. 40. Cfr etiam ep. Colucci ad amicum Loschium (Schio, Sulla vita e sugli scritti di Antonio Loschi, Padova 1858 p. 157): Utinam in eisdem chartis et litteris (sc. atque epistulas miscellas accepi) reliquas habeamus, quas scio fuisse in ecclesia Veronensi.

[2] Valde dolendum est, quod nomine commodo atque idoneo, quo utrumque corpus epistularum designetur, adhuc caremus.

ronis breviter appellaverat, tum adiuncto illo de Verona, quoniam Veronae eas invenerat Petrarcha, ab epistolis miscellis (ab ecclesia Vercellensi) seiungere volebat. Sed mitto haec; fac ipsum parentem Medicei 49: 18 Verona Mediolanum missum esse:[1] quo tandem iure concludere licet, eundem fuisse atque vetustum illum Veronensem, cum praesertim is anno 1345 scriptoribus impervius esset et anno 1374 Broaspinio Veronensi non contigisset, ut amico flagitanti plus sexaginta epistulas procuraret?[2] Si quicquam effici potest, multo veri similius est, plane diversos fuisse.

Nam quod nobis occurritur, nos non accepisse, si a codice Pistoriensi (v. p. 52) discesseris, alterum exemplar inventum esse, quantum claudicet ea conclusio, demonstravit Lehmannus Att. p. 164 sq. Praeterea de alio quoque libro nunc deperdito cognovimus epistula quadam a Decembrio circiter annum 1415 Nicolao missa, qua amicum certiorem facit, Mediolani cum alios codices non multos exstare tum Epistolarum ad Atticum librum veterrimum (cfr Schmidtius l. l. p. 60). Attamen si nullorum codicum ratio habenda est nisi eorum, quos inventos fuisse memoriae traditum est, tota res haeret. Velut superstites illos EGHNOP Pal. Rav. ad librum Σ ultima stirpe redire, de quo nihil memoriae traditum est, quis est, quin videat? Ac nostris quoque temporibus accidit, ut veteres codices interierint, novi prolati sint, velut O, quem Lehmannus totum contulit, nunc mancus est, accesserunt Add. G Pal., quorum ope quanto melius de mutuo codicum nexu iudicare possimus quam vel Lehmanno (Att. 161 sq.) licuit, mox videbimus (cfr p. 44, 52 sq.). Itaque non magis mirari oportet, olim duo fuisse codices Veronenses, unum a Petrarcha inventum, alterum post Petrarchae mortem in medium prolatum et Mediolanum missum, quam nostris temporibus tres esse codices Parisinos, duo a Lehmanno examinatos (PR), tertium post mortem impigri illius librorum investigatoris accuratius collatum (G). Ut igitur codex Parisinus nulla nota apposita ambigue appellatur, ita codex Veronensis dubium nomen erat et

---

[1] Itaque ne eius quidem rei rationem habeo, quod Coluccius codicem, quem epp. ad Brut., Qu. fr., Att. continuisse sciebat, in ecclesia Veronensi fuisse scribit (ac nescio an eodem spectent verba Petrarchae: ubi minime rebar inventas), codices autem Mediolanum missi antea in bibliothecis reconditi fuisse videntur (Scio l. l. p. 74 ... 'che tra i codici mandati ... dalle bibliotheche di Verona e di Vercelli' ...).

[2] Cfr Schmidtius 'Überlief.' p. 24: 'Wahrscheinlich war das Original dem Broaspini nicht mehr zugänglich; denn der Urcodex, den Petrarca aufgefunden, scheint nicht in Verona verblieben zu sein.'

quasi duplex illis potissimum temporibus, quibus haudquaquam mos erat tam accurate, quam nunc solet, codices designare.

Denique accedunt ipsorum librorum superstitum gravissima testimonia, quibus omnis dubitatio, si quae forte residet, tollitur, ex quorum indole ac natura efficitur, M^1 in Δ ponendum neque tamen ex ipso Δ sed ex intermedio quodam codice accurate transscriptum esse, apographum Petrarchae ad Σ pertinere (Lehm. Att. p. 172), non ipsum Σ fuisse. Quae cum ita sint, fieri non potest, ut M^1 ex illo codice, quem Petrarcha anno 1345 Veronae invenit, transscriptus sit.

B. De correctionibus Colucci Salutati (M^2).

O. E. Schmidtio primo contigit, ut correctiones M^2 nota ante promiscue designatas a tribus viris doctis ascriptas esse ostenderet, qui codicem illum clarissimum deinceps possedissint. Quos cum eius aliorumque opera Coluccium Salutatum, Nicolaum Nicolai f., Leonardum Arretinum fuisse constaret, diligenter examinatis chirographis eorum et comparatis inter se cumque correctionibus Medicei tandem invenit peracute, quae cuique tribuenda essent.

a. *M^2 al.* Lectiones signo *al'*. notatas maxima ex parte a Coluccio additas esse constat (Schmidtius 'Überlief.' p. 26 sq.); de varietatibus quibusdam eadem nota signatis sed prima manu e libro archetypo transscriptis egimus p. 37, tertia manu vel posteriore etiam paucissimae additae sunt, velut ad Qu. fr. I: 1^4 *eiusmodi*] *huiusmodi* M^3 al. (post del.) m. — ad Att. I: 17^2 *accidisset*] *audisset* M^3 al. (post del.) GH; quas Schmidtius l. l. p. 30 M^4 dubitanter tribuit, mea quidem sententia M^1 assignandae sunt. Annotavimus ad 125 exempla, quorum plurima in libris ad Att. quarto et quinto exstant, singula in primo et octavo, ex 60 fere epistulis excerpta, unde haud temere licet suspicari, id quod Schmidtius l. l. p. 31 opinari se dixit, Coluccium eas varietates ex exemplari Broaspini mutuatum esse. Utut res se habet, non uno nomine miram speciem ac perplexam praebent lectiones M^2 al. Velut omnes varietates M^2, quas Lehmannus Att. p. 161 sq. perscriptas habet, quae, ut ipsius verbis utar, et falsae sunt et uno in N inveniuntur, notam *al.* ascriptam habent, ac prorsus eiusdem generis esse apparet ad Brut. I: 2^4 *ut nunc iudico*] *video* M^2 al. N. — ad Qu. fr. II: 1^1 *commorat exspectationem*] *expectationes* M^2 al. N. 3^5 *ab indice Cn. Nerio*] *Norio* M^2 al. (post eras.) N. III: 1^4 *Taurum*] *Scaurum* M^2 al. N (in M

post eras.). 4^2 *tulit*] *tulisset* M^2 al. (post del.) N. — ad Att. II: 4^5 *videamur*] *videam* M^2 al. (del.) N. IV: 18^2 *in terris*] *in ceteris* M^2 al. N. V: 3^2 *fuerit* M^2 c^s P Pal. : *fuerat* ΔGH : *fiat* M^2 al. N. 6^2 *aliquid... novi*] *non* M^2 al. (eras.) N. 9^1 *navigassemus*] *navigaturi essemus* M^2 al N. Nec absimilia sunt haec: ad Qu. fr. II: 14^4 *Memmi* M^2 al. G : *Memi* N : *memini* Δ H : *-m Ennii* P : *enim ennii* Pal.; ad Att. II: 4^2, III: 5, quae duo Lehmannus l. l. perscripsit. — Quod vir ille doctissimus arbitratur, eas omnes varietates ex ipso N in M migrasse, equidem aliter censeo, quoniam alios codices consimiles olim fuisse constat, ut illum, ex quo et N et Add. (p. 8) manarunt; etenim cum alia (v. infra) tum parvulae illae discrepantiae, quae sunt inter M^2 al. et N, persuadent, lectiones M^2 al. non ex ipso N profectas esse sed ad codicem quendam propinquum ultima stirpe redire.

Est, ubi M^2 al. cum E solo consentiat: ad Qu. fr. II: 3^2 *omnia maledicta, versus denique*] *etiam* M^2 al. E. 4^1 *nullam videri*] *uri* M^2 al. (eras.) : *uri* E. 4^2 *confectum erat*] *est* M^2 al. E. III: 1^{10} *perscripsit*] *rescripsit* M^2 al. E.

Iam dilucescit, quod ante obscurum erat, qua de causa tot varietates M^2 al. in m desint (p. 27 sq.): Berolinensis scilicet in codicum Δ numero est, illae ex aliquo fonte manarunt, qui in Σ ponendus videtur. Paulo aliter res se habet ad Brut. I: 2 a^1 *maximo*] *magno* M^2 al. (eras.) ms E. 15^3 *studeo*] *cupio* M^2 al. (eras.) ms E. ad Qu. fr. II: 14^2 *expectem* M^2 al. ms Σ : *expectarem* M^1 bd. ad Att. II: 9^2 *peccavit* M^2 al. rell. : *paccavit* M^1 solus. — Sed ne sic quidem licet omnia aenigmata solvere, velut ad Brut. I: 16^6 omnes libri *dum servire... peius odero malis omnibus aliis* praebent, M^2 solus *duxero al.* (quod linea inductum est). — ad Qu. fr. III: 4^3 *amicum Sallustium*] *Sastium al. Sastinum al.* M^2. Atque hoc loco dupliciter correxit ut ad Att. III: 5 *sin es in via* ΔOP Pal. : *se ines* G : *si mens* H : *seines* N : *al. sin es al. senies* M^2 (quid M^1 habuerit, in loco raso n. l.), quae diversam originem prae se ferunt. Quae cum ita sint, omissa singula enodandi curiositate satis habeo dicere, aut ex diversis fontibus manasse lectiones M^2 al. videri aut e codice quodam fluxisse, quem E et N affinitate contingunt, sed in quo erant quaedam aliunde congesta.

Iam si illud quaerimus, quod maius est, ecquid fructus hinc recensioni accrescat, correctionum *M^2 al.* eadem ratio est et condicio atque ceterarum, ut non tam per se ipsae ponderandae sint plurisve aut minoris aestimandae, sed prout cum reliquis codicibus conspirant, ex quorum consensu de Ω deque primitiva scriptura rectius iudicare licet. Velut ad Brut. I: 16^6 consuetudinem sermonis

utrumque recipere quis negat? Et tamen *odero* illud, quod vetustatis speciem prae se fert, editores sua sponte receperunt, antequam de testimoniis omnium codicum comperissent. ad Qu. fr. II: 3[2] *etiam* E nihil esse apparet nisi interpretationem vocis *denique* in bimembri dissoluto notabilis, in qua alio simili loco, ad Qu. fr. I: 1[1] *multi nuntii, fama denique,* de quo infra pluribus agam, nostra quoque aetate fuere, qui offenderent. Sed I: 3[5] *ages scilicet, si quid agere posse . . . putabis* vereor, ut recte obtemperaverint correctori M[2] al. (= EP) *agi* substituenti, cum *agere* elegantius sit (in omisso *te* nihil est cur haereamus) et in Ω fuisse constet; nam E solum refragantem nihil moramur neque adeo P auxilio succurrentem, quem suis relictis perfugisse consensus O Pal. cum GHNΔ indicio est. Et quanti momenti sit ad memoriam constituendam testimonia librorum inter se pensare quamque non dicam libidine — nam varietas lectionum inexplorata erat — sed temere ac fortuito egerint editores, cum alia documento sunt tum ad Qu. fr. I: 2[7], ubi correctionem non ausi sunt recipere: *Nam si te interioribus vicinis tuis . . . anteponis, valde magnum facis!* Sic enim et ante vulgabatur et restituendum est cum M[2]al.bdΣ Btr.; quod Wes., Muell., Purs., Tyrr.-Purs.[3] cum ed. Rom. descripserunt: *valde magni facis*, id auctoritate codicum M[1]ms nititur, quos consensui bdΣ non pares esse et p. 21 ostendimus et saepius videbimus. Ecce autem nova turba ac dubitatio orta est: cum M[1] *magnificis* habere Baiterus doceret superscripto *al. magnum facis*, Muellero hic etiam scrupulus restabat, lateretne sub illo velut *magni fis* aut *magnificus es.* Qua quidem in re irrito se labore fatigavit vir doc-
al' gnū a
tissimus: in M enim sic scriptum est: *magnificis*, sed *i* in *a* manus prima correxit; virgula sub *i* priore a quo addita sit, argumentis demonstrari nequit, et tamen vix fieri potest, quin M[1] assignanda sit. Cum igitur M[1] *magni facis* habuerit (Schmidtius 'Überlief.' p. 27 non satis dilucide Medicei scripturas exposuit), inter *magni facis* M[1] ms et *magnum facis* M[2] al. bd Σ diiudicandum est, quorum quod posteriore loco posui et codicum memoria et Ciceronis consuetudine commendatur, qui in simili oratione dicit Verr. III: 16[42]: *Tu cum tot decumas . . . tuis nefariis institutis exigeres . . ., magnum te fecisse arbitrare, si pluris vendideris quam L. Hortensius . . .* Ac. I: 2[6] *Quid est enim magnum, cum causas . . . sustuleris, de . . . concursione fortuita loqui?* Cfr etiam l. l. paulo infra: *Sive enim Zenonem sequare, magnum est efficere, ut quis intellegat.* Ep. XIV: 3[2]. — Or. 105 *Nos magnum fecissemus, si quidem potuissemus,*

quo contendimus, pervenire. Hor. Sat. I: 10[20] *At magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis Miscuit...* Cfr etiam Varro L. L. VI: 39. — Tusc. disp. V: 40[117] *Magnum vero effecisti, si cantharidis vim consecutus es.*

---

b. *M² c^s.* Iam sequitur, ut de variis lectionibus agamus, quibus signum *c^s* praescripsit Coluccius, quae in epistulis ad Brut. et Qu. fr. atque in primo ad Att. libro pauciores sunt, post paulatim accrescunt, in posterioribus vero regnare videntur. Ac notam illam alii aliter interpretati sunt, velut *corrige* Hofmannus, 'Der kritische Apparat' p. 17;[1] Schmidtio persuasum est, *c^s* esse compendium nominis Colucci litterisque prima et ultima sui nominis ascriptis cancellarium illum doctissimum indicare voluisse, ubi suarum coniecturarum ope medelam quaerendam fuisse existimaret, cfr 'Überlief.' p. 11.

Attamen hoc non ex una parte dubium videtur. Primum enim nullo pacto constat, signum *c^s*, etiamsi ex *c* et *s* constet, nomen cancellarii notare, cum idem signum N nonnullis locis habeat (Lehm. Att. p. 158 ann.), M³ ad Att. I: 1³ *Vario cum*] *ecino* M¹, d² ad Qu. fr. I: 1[43] *putem* (om. d¹); unde veri similius videtur ac prope certum, communem quandam notam esse. — Quod vero Schmidtius conclusit, ita signatas lectiones Colucci coniecturas esse, cum inter eum ('Briefwechsel' p. 450²) et Lehmannum (Att. p. 158 sq.) de Att. XIV: 17 a⁷ non convenerit, quo uno loco Lehmannus Schmidtium refellere conatus est, hic pauca subiungere liceat, quibus omnis dubitatio tollitur.

ad Att III: 15² *et si tu incolumis me requiris, quo modo a me ipsam incolumitatem desiderari putas?* Quis est, qui credat, Coluccium *incolumis* (M¹ m Σ), quod verum est, emendandi studio in deterius mutasse, *incolumem* (M² c^s bds), quod a contextu orationis abhorret, in tribus codicibus, qui ex M non pendeant, casu et fortuito exstare? III: 19³ *si intellegis, me coactum, ut* M¹ m Σ: *mecum actum* M² c^s bds. VII: 25 *Quid dicam nisi illud eum scisse ... hoc nescisse*] *eum nescisse* M² c^s bdms. V: 14² *Erat mihi in animo ... aestivos menses rei militari dare, hibernos iuris dictioni* ms NP:

---

[1] Sane virgula illa superscripta *r* saepissime designat velut in *c'te*, *p'mū*, *7c*:= *et cetera.*

virisdictionis M^1 : *iurisdictionis* M^2 c^s bd : *varis dictionis* G : *variis dictionibus* H. Tales igitur lectiones, quae et falsae sunt et in aliis libris inveniuntur, qui ex M non pendent, indicio sunt, varietates c^s signatas Colucci coniectura non repertas esse.

Sequitur deinceps, ut videamus, unde eas deprompserit numque nos possint in constituenda memoria adiuvare. Perlustratis omnibus exemplis, quae in epp. ad Brut., Qu. fr., Att. I—VIII exstant, hoc sine dubitatione affirmare posse videor, ex uno vel pluribus libris ad familiam Δ pertinentibus deductas esse. Quod non tam efficitur ex eis locis, ubi M^1 solus peccavit, velut ad Att. IV: 1^2 *ad cumulandum* M^2 c^s rell. : *accumulandum* M^1. VII: 11^1 *milie(n)s* M^2 c^s rell. : *moliens* M^1. — ad Qu. fr. I: 2^5 *simile* M^2 c^s bd Σ : om. ms : *si mille* M^1, sed magis ex talibus, quales sunt ad Brut. I: 11^2 *cupimus* M^1 Σ : *cepimus* M^2 c^s (*ce* post eras.) bdms. — ad Att. IV: 2^4 *tibi* M^1 NO^1 PPal. (EGH desunt) : *sibi* M^2 c^s bdms O^2 : om. Faern., ubi M^1 cum Σ contra bdms conspirat (de eius generis varietatibus p. 74 sqq. fusius agemus), vel ex lectionibus M^2 c^s bds, v. supra; ad Qu. fr. II: 11^1 *discingor* Σ (sed *dicingor* P) : *distingor* M^1 : *distringor* M^2 c^s bd : *distinguor* ms (quod Baiterus memorat, *distingor* in *discingor* correctum esse, non verum est, nam *c* prope *t* ascriptum ad notam c^s pertinet).

Quoniamque correctiones ad reliquos codices aestimandos adhiberi non posse constat, illas potius ratione codicum metiendas esse, quantum valeant, non difficile est constituere. Velut ad Att. IV: 2^4 *vix tandem tibi de mea voluntate concessum est*, quantum dubitationis attulit viris doctis, cum nihil aliud compertum haberent nisi hoc, *tibi* in *sibi* correctum esse! Unde orta sunt varia conamina, velut olim Baiterus, nuper Muellerus cum Faerno utrumque delerunt, commodius sane quam consideratius; Madvigius a *sibi* proficiscens Adv. crit. III: 172 scribi iubet: *vix tandem sivi; de ... est;* alii aliis certatim obstrepentes *id*, *id ei*, *illi*, *eis, senatu invito*, *homini* denique coniectarunt, Wes. et Bootius re desperata nihil aliud quam crucem ascripserunt, Lehmannus, iudex ille peritissimus, etsi *tibi* retinet, tamen quodam modo se excusans in ann. crit. haec addit: 'ich kenne keine leidliche Verbesserung'. Qui omnes et oleum et operam, ut aiunt, perdiderunt. Quid ergo? Scilicet proficiscendum est a consensu M^1, qui inter omnes codices classis Δ ita praestat, ut nullus ei par sit, cum Σ, unde veri simillimum est, *tibi* in Ω fuisse, quod non modo non refugere Ciceronem, ut nonnulli putant, sed etiam frequentare et Tyrr-Purs.[3] in annot.

ad Att. I: 14[5] ascripta egregie docuerunt et nos de ep. ad Brut. I: 17[4] disputantes pluribus demonstrabimus. (Dat. eth.).

Relinquitur, ut de

c. *M*[2] breviter agamus, id est de correctionibus secunda manu ascriptis, quae peculiari nota carent, quas longe plurimas esse Schmidtius l. l. p. 35 ostendit; de quarum indole ac natura inter nos fere convenit. Etenim quod vir ille doctissimus quaestionem movit, referantne eae correctiones ipsum librum archetypum, unde transscriptus est Mediceus, an fuerit Coluccio copia ac facultas alios codices inspiciendi, mihi quoque persuasum est, fieri non potuisse, ut variae lectiones M[2] ex ipso parente profectae sint. Quamquam ad eam rem demonstrandam minus valet ad Brut. I: 1[1] *Non soleo . . . temere affirmare de altero; est enim periculosum propter . . . hominum . . . multiplices naturas: Clodi animum perspectum habeo . . .* Sic enim legendum est cum M corr. bdms Σ; *at* adversativum (*at Clodi*), quod S. l. l. p. 41 Coluccium coniecisse suspicatur, coniectura est illa quidem et sane levissima sed non Colucci verum Leonardi (M[4]); *et* illo, etsi nihil est nisi prava interpretatio notae distinguendi (*naturas et Clodi* M[1]), de qua ante egimus p. 38 sq., ad emendandum tamen abusi sunt editores (*naturas; sed Clodi* Btr., Muell., Purs.; de asyndeto adversativo in simili oratione ne quis dubitet, respiciat velut 15[10] *Nullum enim bellum civile fuit . . ., in quo bello non . . . tamen aliqua forma esset futura rei publicae: hoc bello victores quam rem publicam simus habituri, non facile affirmarim . . .*). — Illud vero momentum facit, quod M[1] non uno loco vetustiorem speciem prae se fert quam Colucci correctiones; de qua ratione deque mutuo nexu familiarum Σ et Δ cum infra capitulo septimo disputaturi simus, hic satis erit rem significasse, ad quam paulo ante delati sumus p. 47, M[1] non semel cum codicibus Σ aut omnibus aut pluribus contra bdms consentire et solum ex Δ si non veram, at genuinam scripturam servare. Talia sunt haec: ad Brut. I: 2[3] *de catoniis* M[1] Σ : *de antoniis* M[2] bdms. 3[2] *fructum* M[2] (eras.) M[4] bdms P : om. M[1] M[3] EGHN Pal. 5[3] *nam et* M[1] Σ : *nam etiam* M[2] bdms. — ad Qu. fr. I: 3[2] *vis lacrimarum et dolor* M[1] M[3] GHNO[1] Pal. : *dolorum* M[2] bdms EO[2]P. Itaque non dubium est, quin codices, qui ab ipso archetypo Medicei discreparent, ad Mediceum corrigendum Coluccius adhibuerit; qui tamen omnes videntur ex Δ originem duxisse. Quod Schmidtius l. l. p. 44 lectiones quasdam coniecturarum loco habendas esse censet, id demonstrari posse non crediderim.

Illud denique non est silentio praetereundum, Coluccium ali

quotiens binas correctiones ascripsisse, velut ad Att. III: 5 praeter duas nota *al.* signatas (p. 44) tertiam addidit hanc: *c*ˢ *senties in via.*

al' 7 cˢ scam

IV: 18² *aquiescat.* V: 3² *fuerat* M¹: superscr. *al' fiat c*ˢ *fuĩt* (i. e.

iis

fuerit) M². — ad Brut. I: 9¹ *sciremus al' scirem his.* — ad Att. IV: 16¹

pactio ~~*al'. Actio*~~

~~*paccio*~~ *ratione* (de h. l. cfr Sternkopfi doctam annotationem Herm. XL: 21), quarum M² al'. vetustiores esse quam ceteras non sine causa conclusit Schmidtius l. l. p. 27 ann.

d. *De aliis quibusdam lectionibus, quae ex eodem fonte fluxisse videntur.*

Quod Schmidtius l. l. p. 15 memorat, manum Colucci et litterarum formas pro tempore et pro re paululum variare, id verum esse repperi. Ac Mediceo iterum ac saepius retractato circumspectisque rebus omnibus pro certo habeo, Coluccio assignanda esse vel ex eius saltem codicibus originem ducere multa, quae vir ille doctissimus M³ aut M⁴ aut posteriore etiam manu ascripta putavit. Velut constat, verba *Hic deficit cōplemtū* ꝛ *al' magna epl'a* fol. 58 r (ad Att. 18¹), quae Schmidtius l. l. pp. 8, 79 sextae manui attribuit, prorsus eisdem litteris, eadem manu exarata esse cum additamento *et a spe malorum . . . illi adsentiens* (ad Att. I: 20²) ima eadem pagina 58 ascripto, quod Schmidtius ipse 'Überlief.' p. 37 a Coluccio profectum existimat. Sed gravius aliquanto est ac permagni momenti, quod multae lectiones, quibus nota *l'* apposita est quasque Schmidtius p. 62 sq. Nicolaum e suo codice deprompsisse docet (M³), e Colucci potius manarunt (M²), velut hae: ad Att. VII: 3² *agi* M² l' : *ac* M¹. 3³ *prodesse* M² l' : *prodire* M¹ (*d* correctoris sic exarata est: ƀ; M³ contra semper d scripsit; cfr 'Überlief.' p. 16). — *meis* M² l' : *me ijs* M¹. 3¹⁰ *quam* (per comp. scr.) M² l' : *cui* M¹. 9² *impetratum* M² l' : *imperatum* M¹. 9⁴ *non legit* M¹ : *non legitimum* M² l'. Quae discrepantia manuum M² l' et M³ l' maxime perspicua est, ubi iunctim et alternis correxerunt, velut 3⁹ *actionem* M¹ : *rationem* M³ l : *autionem* M⁴ : § 10 *quam, noenu, re* M² l (fol. 115 r.). Quae res cum per se satis certa sit, tum testimoniis, quae ex ipsorum codicum natura assumuntur, confirmatur. Velut Berolinensis m cum M² l' consentire solet, a M³ l' discrepare; quod Schmidtius 'Woch. f. kl. Phil.' IV (1887) p. 1018 (v. p. 25) aliquot lectiones M³ l' ante 1408 in Mediceum, ex Mediceo in Berolinensem anno 1408 transscriptas esse contendit, certe scio, longe aliter esse. Etenim inde a libro ad Att. quinto accedunt correctiones sat mul-

tae paulo diversa manu et fortasse non ipsius Colucci ascriptae sed plane eadem specie ac natura, quarum aliis praescriptum est *l'* vel c^s, aliis puncta addita, aliae sine nota sunt, velut V: 12^1 *nosti* M^2 bdms P : *nr̄i* (i. e. *nostri*) M^1 N (EGH desunt). VI: 1^4 *praeterea* M^1 NC : *praefecturas* M^2 bdms E (quod idem in archetypo Parisini fuisse veri simile est: *quot vellet praefecturas dederam* P om. *sumeret . . . praefecturas).* VII: 3^4 *tantas ei vires* corr. M^2 ex *tanta se iuris* M^1. VIII: 9^1 *cum* (*quom*) *eum* vel *quoniam eum* edd. : *quo eum* M^2 bdms EP : *quem* M^1. — Haec omnia paulo tenuioribus litteris scripta sunt, quam Colucci correctiones esse solent, neque tamen de origine dubitari potest.

Ex posterioribus ad Att. libris satis erit nonnulla afferre, quae Schmidtius l. l. p. 73 sine iusta causa Leonardo Arretino (M^4) assignavit, velut XIV: 17^5 *ut* ante *volui* inseruit M^2, 17 A^2 *habere* post *Nestorem,* § 4 *trans* (M^1) in *transtulerim* corr. M^2, XV: 1^1 *summum medicum* om. M^1 : add. M^2, quae omnia quantum distent a Leonardi manu, nemini dubium esse posset, si ipsum Mediceum inspicere liceret ac varietates, quales sunt XV: 1 a^2 *spe hoc* M^1 : *sive hoc* M^4, 3^2 *ad propriorem* M^1 : *ad posteriorem* M^4, in comparationem asciscere. Quod cum non liceat, ne quis affirmantibus nobis magis quam suo iudicio fidem habeat, haec duo, ne omnia percenseamus, respiciat: VII: 9^4 *praeteriit tempus non legis, s e d l i b i d i n i s t u a e, f a c t a m e n l e g i s; ut succedatur, decernitur; impedis . . .* Verba *sed . . . legis* in C servata qua causa factum sit ut in ΣΔ (= Ω) exciderint, nemo non videt, nec potuit defectus orationis ab interpolatore tam ingeniose ac sagaciter suppleri. Neque minus manifestum est, ad primitivam scripturam proxime accedere consensum M^1 Σ (M^1 EOP *non legit,* N *non legas,* H deest; de permutatione litterarum *s* et *t* conferas, si tanti est, ad Att. I: 2^2 *ineunte* Σ : *mense* Δ. IV: 2^4 *tibi* M^1 Σ : *sibi* M^2 bdms. 15^{10} *possit* M^1 Σ : *possis* M^2 bdms), quem suo more emendando depravarunt M^2 l' bdms : *non legitimum ut succedatur . . .* Nam quod Schmidtius olim l. l. p. 64 dubitanter proposuit: *tempus non legis tuum sed . . .*, id vix crediderim virum illum doctissimum nunc vindicare. — XV: 1^1 *Quid est, quod non pertimescendum sit, cum hominem temperantem, s u m m u m m e d i c u m tantus improviso morbus oppresserit?* Vocabula *summum medicum* ab M^1 omissa glossema esse a Poggio in m additum, ex m in M a Leonardo (M^4) transscriptum, Schmidtio persuasum est (l. l. p. 76, 84, 91). Quae ratio quantum a vero abhorreat, consensus codicum documento est: *summum medicum* M^2 bdms EP : om. solus M^1. — Haec igitur omnia ab eadem origine deducta sunt

atque ceterae lectiones M^2 (p. 48 sq.), id est, a codicibus ad familiam Δ pertinentibus; unde etiam de pretio eorum facillime iudicatur.

De summario vel indice nominum vocumque notabilium a Coluccio in margine ascripto deque ipsius annotationibus ad argumenta epistularum vel structuras spectantibus, quales sunt ad Att. II: 24^4 (Nos tamen . . . erecto animo et minime perturbato sumus) *ne te iacta Cicero,* III: 10^3 (quod et maerore impedior et . . .) *Ubi philosophia?* III: 2 (ubi . . . diutius esse possem quam in fundum Ω) *Vide constructionem esse in fundum*, dilucide egit Schmidtius l. l. p. 45 sq. Unum hoc additum velim, indicem nominum interdum variare, velut ad Qu. fr. I: 2^4 (*nymphontem* Mms : *niphontem* bd : *nymphonem* vel *nimphonem* Σ) *Nymphontes al' Nīphones* M^2 in marg. — ad Att. VI: 2^{10} (. . . *valere Piliam et Caeciliam iubebis* . . .) *Pilia* c^s *Popilia. Caecilia.* — 7^1 (*Cicero* < *Attico salutem* >. *Quintus filius pie sane* . . . Man., edd. : *Cicero Q. F. pie sane* C : *Cicero . C f. pie sane* N : *Cicero . q . fr. pie sane* P : *Cicero . Q . fratri. Pie sane* Mm : *Cicero . Q . fratri suo salutem.* L' ·/ *Attico. Pie sane* s : *Cicero Attico salutem. pie sane* bd) index nom. hoc habet: *Cicero . Q . filius;* neque tamen ipsum textum correxit.

Extremum illud est, ut ea breviter complectamur, quae de Colucci emendandi ratione invenimus. Ad M^1 corrigendum Coluccius variis codicibus usus est, quorum unus, ex quo depromptae sunt lectiones M^2 al., ad similitudinem Ambrosiani E et Laurentiani N accedere, ceteri, ex quibus manarunt varietates M^2 c^s, M^2, M^2 l', in Δ ponendi esse videntur. Quae correctiones quantum valeant quidve quasi dotis afferant ad textum recognoscendum, ita recte aestimari potest, si non modo per se sed cum ceterorum memoria collatae examinantur.

C. Correctiones Nicolai Nicoli f. (M^3).

Postquam Coluccius anno 1406 mortuus est, codex Mediceus in manus ac tutelam venit Nicolai, viri divitis Florentini, cuius emendationes quot qualesve sint, unde originem ducant, quantum lucri rei criticae addant, nunc videamus.

Schmidtius 'Überlieferung' p. 60 sqq. duo correctionum genera distinxit, quorum alterum littera *l'* designari voluit, alterum nota carere, nisi quod signis, qualia sunt ÷, ÷, superscriptis ad mar-

ginem, ubi varia lectio ascripta esse solet, delegetur, atque utrique classi suam quamque diversam originem tribuit. Sed unius et eiusdem generis esse vel ea res indicio est, quod et *l'* (*vel*) et notae ·/, . ., .·., ÷, II, sim. eidem voci apponi solent, neque sane disparem originem sapiunt.[1] Reperiuntur autem varietates M^3 in epp. ad Brut., Qu. fr., Oct., Att. I—VII. ad Att. VII: 24 . . . *cum paucis militibus* . . .] M^1 primo *mulieribus* habuisse videtur, unde effectum est *militibus* (incertum, qua manu), quod M^3 perspicuitatis causa, ut assolet, in margine iterum ascripsit: ÷ *militibus*, qua correctione, nisi me omnia fallunt, nulla posterior est (confer etiam ea, quae paulo ante p. 49 de lectionibus M^2 l' disputavimus). Itaque omnia, quae Schmidtius l. l. p. 69 de varietatibus M^3 in libris ad Att. VIII—XVI deque earum origine exposuit, supervacanea atque inutilia sunt.

Sequitur, ut indagare conemur, ex quo fonte hauserit Nicolaus; qua quidem in re peropportune accidit, quod non incerta opinari sed veri simillima concludere licet. Constat enim, Nicolaum anno 1409 de vetusto quodam codice certiorem factum esse epistula Leonardi Arretini amici Pistorio Florentiam missa — distant inter se eae urbes fere 35 chilomm. —, in qua cum alia tum haec sunt (cfr Schmidtius l. l. p. 59, Lehmannus Att. p. 145): Bartholomaeus Cremonensis mihi hodie affirmavit, se Ciceronis epistolas ex vetustissima litera reperisse . . . domum eius visendi studio me corripui, quo in loco mihi ostenditur volumen antiquissimum sane ac venerandum . . . invenio epistolas ad Brutum et ad Quintum fratrem, eas videlicet ipsas, quas habemus, et septem dumtaxat ad Atticum libros . . . aliquantulum inerit lucri ad nostras emendandas. Illud satis constat, quas antea habuimus, ex eo volumine non fuisse transcriptas . . . Quanto gaudio perfusum esse arbitramur acerrimum illum librorum amatorem hac epistula allata, quanto vero studio oblatam ultro occasionem arripuisse Medicei sui emendandi! Ac vide συγκόρημα: codex Pistoriensis eas ipsas habuit epistulas (ad Brut., Qu. fr., Att. I—VII), quas modo memoravimus a Nicolao correctas esse; unde iure concludere videmur, ex Pistoriensi manasse annotationes M^3, quem tamen non Π (= GHN), id quod Lehmannus l. l. coniectura auguratur, sed parentem vel avum potius aut proavum codicum GH

---

[1] Omnino cavendum est, ne eiusmodi signis nimium tribuamus, nam *al.* nota M^1 et M^2 utuntur, *l'* littera M^2 et M^3, signa, qualia sunt /·, . ., non solum M^3 sed etiam M^1 et M^4 correctionibus suis appinxerunt.

fuisse insigni similitudine, quae est inter GH et M^{3}, comprobatur. Nam quod epistulam ad Octavium neque N habet neque Leonardus litteris suis commemorat, cum in GH adsit et a Nicolao correcta sit, facillime fieri potuit, ut eam Leonardus praeteriret, si in Pistoriensi non magis quam in GH libri distincti erant; ac tres epistulae (ad Att. VII: 10—12), quas N omisit, et in H exstant et ab M^{3} correctae sunt.

Quod modo diximus, M^{3} cum GH mirum quantum concinere, id vel ex his efficitur, quae et falsa sunt et in GH tantummodo inveniuntur: ad Brut. I: 5^{1} *persequerere*] *persequi* M^{3} GH. 6^{4} *infitiantur*] *instituant* M^{3} GH.

ad Qu. fr. I: 1^{14} *si quis*] *nisi quis* M^{3} GH. II: 7^{3} *addiderunt*] *addixerunt* M^{3} GH.

ad Att. I: 17^{9} *locatio*] *collocatio* M^{3} GH. II: 1^{9} *suscensuit*] *sustinuit* M^{3} GH. III: 2 *nobis*] *nobilis* M^{3} GH. IV: 19^{1} *moretur*] *memoretur* M^{3} GH. V: 4^{3} *exceptio*] *expectatio* M^{3} GH. VI: 1^{22} *Lepta*] *laeta* M^{3} H (G inde a 1^{8} deficit). VII: 7^{5} *bonum*] *bonorum* M^{3} H (in M fere omnia posteriore manu, fort. M^{4}, deleta sunt). — Contra deesse solent correctiones M^{3}, ubi GH lacunas habent, ut ad Att. IV: 1 §§ 2—7 nihil correxit Nicolaus, om. GH; sed §§ 1 et 8 utrique collaborarunt. Atque ab eadem origine discrepantiae quaedam repetendae sunt, quae primo aspectu non nihil admirationis movent, ut ad Qu. fr. II: 13^{1} *Litterae vero eius* (i. e. Caesaris) *una datae cum tuis . . . incredibiliter delectarunt*] *eius* M^{3} bd Σ : *tuae* M^{1} ms; *una* ENP Pal. (i. e. Σ praeter GH; O n. l.): *unae* ΔGH. Quod M^{3} *tuae* correxit, *unae* (sequentis vocis terminatione ascita) intactum reliquit, etsi sane debuit emendare, id eam ob causam fecit, quia in vetusto illo codice sic scriptum erat, cui rei testimonio sunt GH, qui et alias nonnumquam (cfr p. 77) et hoc loco cum Δ consentiunt.

Ac ne quis suspicetur, ex ipso G aut H potius quam e vetustiore eodemque integriore ac meliore libro hausisse Nicolaum, haec respiciat: ad Att. VI: 1^{2} *immutet* M^{3} bds EHNP : *mutet* Mm : *mutet* G, sed spatiolo ante relicto. IV: 3^{6} *illo recusante*] *Milo* M^{3} (del.) G : *Milone* H. I: 10^{4} *quamvis acrem amatorem* M^{3} bd NP Pal. : *quam in sacrum amatorem* M^{1} m^{1} : *quamvis acrum amatorem* m^{2} s : *quamvis acrematorem* G : *quamvis hac re emptorem* H. Accedit, quod G inde ab ep. ad Att. VI: 1^{8}, H a VII: 22^{2} deficit, M^{3} VII: 24 postremum correxit (v. p. 52). — Iam vero manifestum est, lectiones M^{3} = bds Σ (: M^{1} m), M^{3} = bd Σ (: M^{1} ms), M^{3} = Σ (: Δ), de

quibus semel iterumque mentionem fecimus, ex eodem fonte fluxisse.

Atque haec quidem non dubia aut incerta videntur: ea vero, quae iam proferam, paulo difficiliorem habent explicationem. Est enim, ubi M^3 cum bdGH vel bdsGH contra M^1m(s)ENOP Pal. Rav. congruat, velut in una et eadem epistula ad Att. I: 20 invenimus § 3 *fiam*] *faciam* M^3 GH, sed § 4 *pedarii*] *praeclari(i)* M^3 bdGH et § 7 *agit*] *aget* M^3 bdsGH. Alia eius generis, quod posteriore loco posuimus, sunt haec:

a) ad Brut. I: 16^{10} *merito* ante *Ciceronem* add. M^3 bdGH: om. M^1 msENP Pal. — ad Qu. fr. II: 3^2 *fuga operarum*] *fugata opera* M^3 bdGH. — ad Att. I: 13^2 *nihil agens cum re publica*] *in* M^3 bd GH. II: 1^{10} *Sicyonii te*] *sicyoniatae*. III: 10^2 *umquam extemplo a statu in bona* (*tam* bis om.) M^3 bdGH (de h. l. infra agam). V: 1^3 *Ille sic dies*] *illo sic die*.

b) ad Att. I: 14^6 *Ille alter uno vitio minus vitiosus*] *minus vitio* M^3 bdsGH. II: 4^1 *ferres*] *faceres*. III: 21 *planissime*] *plenissime*. V: 1^3 *Nunc*] *nunc vero*.

Quae communio unde orta sit, magis opinari licet quam argumentis evincere; et tamen sic explanari posse videtur, ut ex Pistoriensi vel consimili aliquo libro b, d, s vel archetypum eorum nonnulla assumpserit, quod ad Att. II: 19^2 factum esse deprehendimus: *Populares isti iam etiam modestos homines sibilare docuerunt*] *sibil(l)are* ΔENP Pal.: *sibi laudare* M^3 (in marg. sin.) d corr. (in marg., fort. eadem manu) GH: *laudare* M^3 (in marg. dextro). — ad. Qu. fr. III: 8^2 *quibus nos dare* M^1 bd^1 ms ENP Pal.: *non* M^3 GH: *al's nō* d^1 (ut vid.) in marg. Restant tamen pauca, velut ad Att. I: 1^3 *a P. Vario cum ... fraudaretur*] *cum* M^3 c^s bd: *et in* GHP Pal. Rav.: *ecino* M^1msN. — ad Qu. fr. I: 1^4 *huiusmodi* M^3 al.'mG: *eiusmodi* rell. — ad Att. II: 7^2 *velim afferas, cum venies*] *cum* M^1 msNP Pal.: *quom autem* M^3 bd: *quoniam* G: *quando* H, quae forsitan aliunde desumpserit; ac nescio an ipsae notae *c^s, al'*., quibus Nicolaus uti non solet, aliam originem indicent. Praeterea uno saltem loco, ad Att. II: 19^2, varias correctiones ascripsit (v. supra).

Iam si quaerimus, quantum auctoritatis correctionibus Nicolai tribuendum sit — id enim erat tertium —, non omnes in unum coniciendas esse apparet, sed prout cum universa memoria consentiunt, singulas aestimandas. Primum igitur lectiones M^3 GH omittamus; ne M^3bd(s)GH quidem cum consensu M^1 m(s) ENOP Pal. Rav. contendere posse vel ex exemplis modo allatis facile est deprehendere et infra saepius videbimus. Aliquanto plus valent M^3 Σ

(v. p. 2 sq.), quoniam Σ — id quod mox evincam, nunc satis habeo praemonuisse —, si rem universam spectes, alteri familiae praestat; eis denique varietatibus, quae consensu bdΣ vel bdsΣ confirmantur, palmam praestantiae deberi, cum per se probabile est tum ante (p. 33 sqq.) argumentis satis demonstratum.

D. De correctionibus Leonardi Arretini (M^4),

quem post mortem Nicolai, Nicoli f., a. 1437 in possessionem codicis Medicei venisse constat, ita dilucide egit O. E. Schmidtius 'Überlieferung' p. 70 sqq., vix ut mihi quicquam sit reliqui ad disputandum, nisi quod nonnullas lectiones (ad Att. XIV: 17^5, 17 $A^{2,4,7}$, 18^2, 19^2, XV: 1^1, XVI: 7^6) ex Colucci potius libris transscriptas esse mihi persuasum habeo (cfr p. 50). Quod vir ille doctissimus ex ipsa natura correctionum et ex indole Leonardi ac moribus iudicat, earum nullam esse fidem ultra coniecturarum probabilitatem, id ei prorsus assentior. Quamquam huic rei testimonio esse non potest ad Att. XIV: 17 A^4 = Ep. IX: 14^1, ubi Schmidtius memoria codicum, qui epistulas miscellas continent, innisus hoc demonstrare studuit, quoniam illud *transtulerim* M^2, non M^4, ascriptum est, sed ceterorum, quos examinavimus, librorum contra M^4 consensus cum aliis locis tum his:

ad Brut. I: 1^{1*} *naturas : Clodi*] *naturas et clodi* M^1 : *naturas at clodi* M^4 (vide p. 48). — ad Qu. fr. I: 2^3 *nihil tamen nec temere*] *enim* M^4, vulg. 2^5 *oportuerit*] *oportuerat* M^4, vulg. — ad Att. I: 11^3 *mire quam*] *mirum est* M^4. II: 1^2 ante *nostrum* inseruit *postquam*, *legere* in *legisset* mutavit M^4. III: 6 *pertinuit in eis et*] *pertinuisset* M^4. IV: 1^7 *Messi*] *messale* M^4. V: 2^2 *strategemate* Vict., vulg.: *stragem alto* ΔNP Pal. Rav. : *stragem altera* M^4 (Baiterus errat, ut saepe). VI: 1^{15} *non* ante *peregrinis* ins. M^4. VII: 1^2 *per* ante *omnem* ins. M^4 (post del. est). VIII: 12 B^2 *in unum locum coactae*] *quot acte* M^1 : *queat ac* M^4.

Quae omnia editores, etsi de universa ratione correctionum pauca sane comperta habebant, recte refutarunt praeter ad Qu. fr. I: 2 §§ 3 et 5, ubi *tamen* et *oportuerit* infra vindicabo atque de exsilio in patriam reducam. Alia menda certis remediis sanavit, ut nihil ultra addi aut demi possit, velut haec: ad Att. VIII: 15^3 *ut meam vicem doleres, cum me* ⟨*deri*⟩*deri videres* M^4 : *cum mederi* ΔEP. VII: 1^7 *Quam* (i. e. supplicationem) *qui non decrevit*, ⟨*plus*

decrevit〉, *quam si omnes decresset triumphos* M^4 : vocabula *plus decrevit* om. ΔNP (EH desunt). — ad Qu. fr. III: 56^1 *ea visum iri ficta esse* M^4 : *ea visu mirifica esse* Ω. 4^4 *sed abest etiam* ἐνθουσιασμός M^4 : *habes* Ω. — ad Att. V: 19^1 *epistulam eam quam*] *meam* Ω, sed in M *m* erasum est (= M^4). — Nonnumquam casu et fortuito videtur accidisse, ut M^4 et s(s^2) conveniant: ad Qu. fr. III: 1^3 *tamen nos pretium servare posse, si vendere vellemus* M^4 s^2 : *servari posses si videre* Ω. 8^4 *Rumor dictatoris iniucundus bonis* M^4 s^2 : *delatoris* rell. — ad Att. II: 1^5 ... *ei liciturum esse plebeio rem publicam perdere* M^4 s : *plebeiorum* rell. (corrigenda igitur ea sunt, quae Lehmannus Att. p. 46 de h. l. attulit). V: 1^2 *veluti* M^4 s : *vel his tu* rell.; peccavit uterque aut ex fonte turbato ambo hauserunt ad Att. II: 7^3 *Illa* (i. e. legatio) ... *Druso* ... *Pisaurensi an epuloni Vatinio reservatur* Z : *pisaurensia nepoloni* M^2 al. Σ (sed *neptolimi* Pal.) : *pisaurensia neptiloni* Δ, nisi quod pro hoc *neptiloni* M^4 s^2 *nebuloni* substituerunt. Atque antea (p. 13 sq.) de ep. ad Att. III: 7^2 mentionem fecimus, ubi is, qui *sed* in *quam* mutavit, vix alius esse potuit quam Leonardus (de III: 12^2 v. p. 34); ab eo denique profectas esse censeo correctiones, qualis est ad Qu. fr. III: 4^3 *reus se dixit* ... *mihi se satisfacturum* Ω, quod retinendum est: *reus* ~~*se*~~ *dixit* eqs. M : *reus dixit* eqs. vulg. : *reus se dixit* ... *mihi satisfacturum* s.

Ex his igitur de natura correctionum Leonardi facillime iudicare licet, quas in textu recensendo magna cautione adhibendas esse perspicuum est. Itaque Schmidtio astipulor consensum Ω, qui Tornesiani Z quoque auctoritate confirmatur, defendenti ad Att. I: 14^5 *Hic tibi rostra Cato advolat, commulcium* (vel *commulticium*) *Pisoni consuli mirificum facit, si id est commulcium* (*commulticium*), *vox plena gravitatis* ..., ubi priore loco M^4, posteriore s^2 in marg. *convitium*, quod nunc vulgatur, substituit, uterque suo Marte et quidem contra omnium librorum memoriam. Cetera Schmidti exempla 'Überlief.' p. 75 perscripta incertiora sunt, etsi ad Qu. fr. III: 6^6 et proxime ad traditam scripturam accedunt et sensum habent haec: ..., *et qui omnia adnuit debere tibi valde renuntia[n]t* : *adiurat* M corr. = M^2? (in textu), M^4 (in marg.), bdms : *adnnat* (*adnuat*?) M^1 : *adnuat* M^3 ΣC (*adnat* M^3 non scripsit, quod Schmidtius p. 71 et 75 contendit); *a* et *i* litteris minusculis scripta saepissime confunduntur, velut ad Att. I: 5^2 *fuerit* Σ : *fuerat* Δ, ad Qu. fr. III: 1^{24} *introierat*] *introerit* Ω (sed *introivit* s); de structura cfr Catull. 61 : 161 *omnia omnibus annuit.* — ad Att. XIV:

18^{2} a M^{2} correctum certa adhuc emendatione eget; de XV: 1^{1} egimus p. 50.

E. De ceteris annotationibus deque Graecis vocibus.

a. Donatus Acciaiolus, vir dives idemque litterarum studiosissimus, post mortem Leonardi a. 1444 a filio eius codicem Mediceum emit, cfr Schmidtius 'Überlief.' pp. 4. 76 sq. Dubium tamen est, num librum suum correxerit; nam quod Schmidtius l. l. p. 77 ad Qu. fr. I: 2^{16} *acerbissimos* Ω : *acerrimos* M corr. (M^{4}?) a Donato (M^{5}) emendatum censet, valde incertum est; Donati quidem manum non agnosco, quae iterum ac saepius, quae memorabilia viderentur, in margine annotavit, ut haec: ad ep. ad Qu. fr. II: 4^{6} *allidere*, 8^{1} *interpelles*, 9^{3} *empedoclea*, 13^{4} *oricula*. Quod vir doctissimus l. l. Donatum ad haec: *Quid vero ad C. Fabium nescio quem?* (ad Qu. fr. I: 2^{6}) ascripsisse commemorat: *Tullius malinus*, per errorem lapsus est; annotatum est enim in margine paulo infra: *Pullus miluinus*, quod ad illa ... *cum suo pullo milvino* ... spectare apparet.

b. De annotatione ad Att. I: 18^{1} : *hic deficit complementum et al' magna epl'a*, quam Schmidtius manui sextae assignavit 'Überlieferung' p. 79, nos autem a Coluccio ascriptam esse pro certo habemus, v. p. 49. — De recentiore quadam manu, quae interpretamenta hic illic superscripsit (ad Att. IV: 3^{2} *vehemens*] ꝑ vehementer, V: 2^{2} *Qui potui non videre*] ꝑ quomodo, 18^{2} *exercitu* ... *Quem nos* ... *duplicaturi eramus*] suple exercitum), nihil habeo, quod addam (v. Schmidtius l. l. p. 79).[1]

c. Graeca vocabula, de quibus egit Schmidtius 'Überlieferung' p. 77 sq., si non omnia, at tamen plurima Colucci temporibus constat in margine rescripta esse litteris minusculis simulque adiectam versionem Latinam. Qua quidem in re haec duo notabilia ac

---

[1] Quae vir ille eruditissimus l. l. p. 18 sq. in tabula codicis Medicei fol. 22 v. explicanda disseruit, his paulo certioribus suppleta velim (ad Qu. fr. I: 2^{3} sqq):

V. 3 *veritati* M^{1} = Ω : *virtuti* M^{4}.

V. 5 *reddidit* M^{1} (nihil correctum est).

V. 25 *eligere* M^{1} = Ω; *elicere* (*g* del., *c* superscr.) M^{4}. — *ultra* M^{1} ms : om. M^{3} bdΣ (in M linea inductum).

V. 26 *fortasse an dimitti non oportuerit* M^{1} = bdmGHNO Pal. = Ω : *fortasse dimitti non oportuerat* M^{4} (*an* del., *-rit* in *-rat* mut.) : *fortasse dimitti non oportuerit* sEP.

mira videntur, primum nonnulla deesse, velut ad Qu. fr. III: 7^1 Οἳ βίῃ... ἀλέγοντες, ad Att. II: 7^4 κἂν... φρενὶ, V: 8 a^4 τὴν ἔσω γραμμὴν, tum inter se nonnumquam discrepare, quae in textu quaeque in margine sunt, ut IV: 7^3 ΟΔΕΟΥΚΕΜΙΤΖΕΤΟΜΥΘΟΝ
is aūt *fabulam*
M : ὁδὲοὒκε (spat.) τομῦθον M marg. Unde suspicari licet, Graeca illa in margine rescripta ex codice quodam fluxisse; neque casu factum esse potest, ut et ea ipsa, quae in margine Medicei desunt, in bds quoque omissa sint spatiis vacuis plerumque relictis, et ut Graeca rescripta, si a textu Medicei discrepant, cum bds consentire soleant (nam M et m in hac quoque re congruere solent inter se et cum GP; in EHN Pal. Graeca omissa sunt). Itaque ea, quae p. 51 de origine correctionum Colucci conclusimus, Graecorum quoque vocabulorum ratione confirmantur; omnia enim, et Latina et Graeca, si a varietatibus M^2 al'. discesseris, e codicibus familiae Δ deprompta sunt.

Haec fere summa est disputationis, quam de Mediceo M eiusque correctionibus instituimus. Absolutis igitur quaestionibus de singulis codicibus deque prosapiis utriusque classis Σ et Δ sequitur, ut in eas ipsas classes diligentius inquiramus.

6. Quae ratio inter Σ et Δ sit demonstratur.

In superiore disputatione de universa ratione, quae est inter familias Σ et Δ, deque singulis utriusque familiae codicibus, praecipue de Mediceo, cum satis dictum esse videatur, relinquitur, ut in classes Σ et Δ curiosius inquiramus ac rebus omnibus, quae momentum faciant, ponderatis, in memoria constituenda quantum fidei utrique attribuendum sit, definiamus. Quamquam vel ex eis, quae ante disceptavimus, utro inclinet trutina, forsitan quispiam praesentiat: id enim egimus agimusque semper, ut ipsa res et veritas loquatur, illud ante omnia caventes, ne opinione praeiudicata huic vel illi codici principatum praepropere assignemus. Simul veniam petimus, si eadem in disputando saepius iteramus: ea est enim ipsa ratio quaestionis satis contortae ac minutatim et per partes tractandae, ut fieri non possit, quin eodem crebro revolvas.

Primum igitur moneo, Lehmannum, ut erat insigni diligentia ac doctrina, lectionum varietatibus demonstrare studuisse, archetypum Σ ex M non pendere et compluribus locis meliorem etiam atque

ntegriorem scripturam quam Δ (M + s) servare (Att. p. 133 sqq.). Schmidtius contra disputatione Lehmanni de sententia non motum esse confirmans ('Briefwechsel' p. 448) Σ et ex M, quem supersti- um codicum vetustissimum esse iudicat, et ex apographo Pe- rachae, quem in Σ ponendum esse constat, pendere ratus ita bre- iter astrinxit, quid de universa ratione codicum totiusque rei criticae ndagasse sibi videatur (Philol. LV: 726): 'Da von W nur geringe Bruchstücke übrig sind und die nicht sehr zahlreichen aus W herübergenommenen Lesarten in C und c sich mit Kon- ekturen und Interpolationen in schwer lösbarer Gemein- schaft befinden, da Z verloren ist, das aber, was Lam- bin und Bosius aus Z melden, nicht immer mit Z iden- isch, noch weniger aber von Konjekturen und Interpo- ationen frei ist, da Σ contaminierte Hdn. sind, die ne- ben sehr wenigen M ergänzenden guten Lesarten zahl- eiche Konjekturen und Interpolationen aufweisen, da erner auch der Veronensis und Petrarcas Abschrift laraus verloren ist, *so bleibt der Text von M[1] als der inzige zusammenhängende, unverfälschte Text der Atti- usbriefe die Grundlage der Textgestaltung*'. Uterque ero vir doctus, qui secum sentirent, habuit, velut novissimi epi- tularum editores Muellerus, Tyrrellus, Purserus in sua quisque raefatione se ad Lehmanni sententiam inclinare profitentur, ex ltera parte Fr. Schmidtius, Progr. Wuerzeburg. a. 1892, J. S. Rei- lius, Hermath. XXX (a. 1904) p. 91 sqq., alii cum Schmidtio fa- iunt; nec multo secus iudicat M. Schanzius, 'Gesch. der röm. Litt.' : 2 (ed. tert. 1909) p. 333 sq., qui cum opere suo quasi sum- nam eorum, quae adhuc disputata sunt, novissimus comprehen- erit, hic ad verbum transscribam: 'Auch auf italienischem Boden existiert eine Überlieferung, welche von der des Mediceus unabhängig ist. Lehmann (p. 20) macht fol- gende acht Handschriften namhaft, welche nach seiner Annahme nicht aus dem Mediceus stammen können ... sequitur enumeratio codicum Σ) ... Allein diese unabhängi- gen Handschriften sind stark interpoliert. Aus dieser Darstellung geht hervor, dass für unsere Briefe, obwohl s stets Pflicht der Herausgeber sein wird, alle genann- en Textesquellen soweit als möglich zu rekonstruieren, och immer der Mediceus 49: 18 Führer sein wird'.

Quae controversia nondum disceptata est. Schmidtius enim, tsi Mediceum (et Berolinensem) examinaverat, tamen plenam

collationem non confecit; Lehmannus Mediceo tantisper omisso libros ad classem Σ pertinentes et s contulerat ille quidem, sed morte ereptus est, ante quam ei contingeret, ut omnia, quae speraverat, imprimis editionem apparatu critico instructam, ad exitum perduceret. Ac vir ille diligentissimus idemque prudentissimus, cum timeret, ut quis eis, quae annotasset atque ex variis codicibus ac libris excerpsisset, recte uteretur, moriens praescripsit, ut omnia, et scripta et excerpta, comburerentur.[1] Quo factum est, ut de Σs ea tantummodo comperta habeamus, quae Lehmannus in actis quibusdam (v. p. 23) et in libro celeberrimo de Ciceronis ad Atticum epistulis recensendis et emendandis foras dederat; accedunt lectiones quadraginta fere epistularum in editione Hofmanniana.

Quae cum ita sint, necesse est utriusque recensionis testimonia diligenter colligere, collecta inter se componere et comparare. Quod si quis sobrio iudicio fecerit, inveniet, archetypum Σ non modo non contaminatum aut interpolatum fuisse sed sui iuris et melius etiam quam Δ, unde sequi, ut Mediceus, licet optimus sit codicum classis Δ, nullo pacto principatum teneat, Σ et Δ denique ab eadem origine Ω repetendos esse.

Etenim si E vetustior est quam M et m, quod nemini dubium esse poterit, qui tabularum phototypice expressarum contentionem fecerit, et si neque m ex M descriptus est neque ceteri eiusdem familiae codices, id quod supra demonstravimus, ex M aut m pendent (v. p. 25 sqq.), archetypo Σ nihil commercii cum M fuisse luce clarius est. Ergo non erat contaminatus. Contra apographum Petrarchae in Σ ponendum esse Lehmannus dilucide demonstravit, ex qua re nimirum non sequitur, ut Σ ex apographo fluxerit, quod vel ex Lehmanni exemplis facili opera iudicare licet. Atque ea, quae de familiae Σ gradibus ante disseruimus, documento sunt, exemplar illud Σ, ex quo varios per ramos discesserunt primum prosapiae, deinde libri scripti, quos superstites habemus, aetate aliquanto praestare apographo anno 1345 exarato. Velut codicem Pistoriensem, volumen illud 'antiquissimum sane ac venerandum', quem correctionibus Nicolai quasi ex inferis excitatum habemus, quantum ab ipso Σ discrepasse apparet! Ac rursus si recte se haberent ea, quae de origine et propagatione familiae Σ opinatus est Schmidtius, haud sane longo intervallo decem fere annorum ex Berolinensi m, quem anno 1408 scriptum esse constat, alius

[1] Cfr H. J. Muellerus, 'Jahresbericht des philol. Vereins' XXIV (a. 1898) p. 165. L. Gurlittus, 'Bursians Jahresbericht' CIII: p. 131. C. Rotheus et G. Andresenus, Mus. Rhen. LVI (1901) p. 159 sq.

codex x transscriptus esset, ex x et y (apographo Petrarchae orto, v. p. 24) Σ contaminatus, ex hoc aliquot codices manassent, quorum unum (Φ) avum geminorum P et R necesse est fuisse; atque P anno 1419 scriptus est (cfr 'Briefwechsel' p. 447. Philol. LV: 724). Quae omnia quantum a ratione universa librorum scriptorum abhorreant, nemo non videt. Quid igitur tergiversamur ac disputationem, cum sit campus, in angustias et dumeta compellimus?

Omnia igitur, quae de Σ contaminato coniectata magis sunt quam demonstrata, oblivioni danda: iam videamus, fueritne interpolationibus ipsum archetypum Σ inquinatum: singulorum enim codicum falsa additamenta prudens et sciens omitto. Velut Schmidtius l. l. interpolationibus Parisinorum P et R ad Att. XV: 4[1] tantum momenti attribuit, ut totam Lehmanni rationem his verbis impugnet: 'Mit diesen Interpolationen liest sich der Text schliesslich wie eine freie Überarbeitung des Ciceronianischen Originals. Und solche Hdn. sollen mit dem keuschen Texte von M[1] auf eine Stufe, ja über ihn gestellt werden?' Qua quidem in re vereor, ne vir doctissimus a proposito aberraverit, cum nemo mortalis, quod sciam, hoc voluerit, certe non Lehmannus, quippe qui et eis locis, quos Schmidtius ab eo mutuatus est, et aliis multis allatis diserte ac definite hoc monuerit, codices PR summa cautione adhibendos esse, ut Att. p. 151: Atque ex istis codicibus (=Φ) R+P pessimi sunt tantaque licentia interpolati, ut nisi dira necessitas penuriaque bonorum codicum (scil. in posterioribus ad Att. libris) nos cogeret, plane eos neglegendos censeremus, et p. 170: apparet, iis interpolationibus, quibus ORP inquinati sunt, ut E et M ita Petrarchae quoque apographon liberum fuisse. Et aliquot annis ante in censura alterius editionis Bootianae, 'Woch. f. klass. Phil.' III (a. 1886) p. 935 sqq., de Rav. idem fere iudicium fecerat. Sed ex singulorum codicum interpolationibus videlicet non sequitur, ut codex archetypus Σ falsis additamentis auctus fuerit.

Ipsius vero archetypi Σ naturam hoc modo Schmidtius descripsit 'Briefwechsel' p. 447: 'Soviel aber darf man sagen: am Rande dieser Handschrift waren und wurden mit der Zeit immer mehr Konjekturen und Interpolationen der Italiener aufgespeichert. Sie wanderten in verhältnismässig geringer Anzahl in den Text der Ambrosianischen Excerpte E, in grösserer Anzahl in den Text von O, in reichster Fülle zeigen sie sich in P und R sowie im Ar-

chetypus von I (ed. Jensoniana).' Quae si recte interpretor, vir doctissimus hoc fere censet, EOPR Rav. cett. ex ipso Σ diversis temporibus transscriptos esse neque medios fuisse interpositos codices tamquam gradus, quibus pedetemptim descenderint ad manifestam discrepantiam: in qua coniectura, cum neque argumentis nitatur et ab ipsis rebus discrepet, nihil est, cur pluribus verbis commoremur.

Sed fortasse haud alienum fuerit aliam dubitationem tollere, quam Schmidtius Philol. LV: 723 perstrinxit his verbis: 'Es wäre mir z. B. sehr interessant, den zusammenhängenden Text von ORP zu allen den längeren Textstellen veröffentlicht zu sehen, die wir aus W kennen, dann erst wird sich das wirkliche Verhältnis der anderen italienischen Hdn. (Σ) zu W und M^1 bestimmen lassen.' Ecce Parisini P memoria continuo tenore transscripta ad Att. XI: $5^3 - 6^1$ (textum codicum M^1 et W una cum recensione Baiteri composuit Schmidtius l. l. p. 721 sq.):

'Ego propter incredibilem et animi et corporis molestiam conficere plures litteras non potui. his tamen rescripsi a quibus acceperam. Tu velim et basilio. et quibus praeterea videbitur etiam Servilio conscribas . ut tibi videbitur meo nomine . quod tanto intervallo. nihil omnino ad nos scriptis litteris profecto intelligis rem mihi deesse quam scribam non voluntatem. Quod de Vatinio quaeris neque illius neque cuiusquam mihi propterea officium deest . si reperire possent qua in re me iuuarent quo auersissimo a me animo patris fuit . eodem corcyram filius venit . inde pròfectos eos unaa cum ceteris arbitror. M. T. C. ad At. Epl'a VIª L̤XI (*rubro atram. scr.*). Sollicitum esse te cum de tuis fortunis que comunibus tum maxime de me ac de dolore meo sentio . qui quidem meus dolor (non *om.*) modo non minuitur cum socium sibi adiungit dolorem tuum sed etiam augetur omnino . pro tua prudentia sentis qua consolatione levari maxime possim probas enim meum consilium negasque mihi quicquam tali tempore potius faciendum fuisse.'

Ex qua comparatione hoc elucet, P non tam desperatum esse ac nullius pretii, quam quis forsitan opinatus sit re parum subtiliter examinata. Ac multa possum proferre, quae M^1 P contra ceteros consentientes integra atque inviolata conservarunt, velut ad Att. III: 20^1 *Pomponiano* M^1 P : *Pomponio* M corr. rell. (primitivam scripturam restituit M^4). IV: 9^1 *vitiandis* M^1 PZ : *initiandis* M^2 al. rell., nec absimilis est hic locus: IV: 5^3 *sittybis* (*sillybis*)] *sit tybis* M^1 m :

sic tibi P levissimo errore : *si scribis* M^2 al. bds N (EGH Pal. desunt). Quae cognatio magis etiam confirmatur erroribus communibus, qualis est IV: 3^4 *magno*] *in agro* M^1 P (nam ad Att. VIII: 11^1 *nostris libris* M^2, vulg. : *nostris* M^1 P insiticium esse *libris* infra ostendam), unde simul apparet, P locis supra allatis non correctum esse sed genuinam archetypi scripturam retinuisse; de qua ratione p. 78 sqq. pluribus disputabimus.

Etenim si verum quaerimus, P non solum suas proprias habet varietates, quae consensu ceterorum codicum refelluntur (v. p. 6), sed etiam prosapiae Φ imaginem reddit (p. 4 sqq.) aut ipsum archetypum Σ refert: quae facili opera diiudicantur, ubi reliqui testes aut omnes aut plurimi adsunt. Eandem rationem esse correctionum M^3 modo vidimus p. 53 sq., quarum auctoritas nulla est, si GH tantum exprimunt, maior aliquanto, si ipsius Σ instar sunt. Atque idem in omnes codices cadit. Itaque in posterioribus ad Att. libris, ubi GHN desunt et E plurimas lacunas habet, fieri potest, ut superstites OP(R) veram archetypi Σ effigiem referant. Omnino cavendum est, si qua forte sunt ab M discrepantia, ne ea statim indicta causa capitis condemnemus.

Haec praefatio, nisi fallimur, non inutilis fuerit ad totam quaestionem recte ponendam: nihil enim magis obstat impeditque, si quis verum invenire concupivit, quam a pravo initio proficisci. Illud igitur nobis propositum est perpendere, utrum ea, quae in Σ fuisse ex consensu superstitum codicum intellegimus, interpolationum loco habenda sint, si in Δ (vel M) desunt. Ad quas res discernendas nullam aptius est inire viam quam eam, quam Vahlenus, subtilissimus harum rerum iudex, Opp. II: 310 sqq. monstravit, ut primum inquiramus, omissis illis ecquid emolumenti orationi afferatur, deinde, quonam consilio ab interpolatore addita videantur, postremo, num ea, quae in altera recensione exstant, in altera desiderantur, proclivi errore intercidisse probabile sit.

Atque exordium faciamus a nonnullis locis, ubi is, qui Δ transscripsit, omittendo peccasse videtur. ad Qu. fr. I: 2^{16} *alios sed hos singulares* Σ : *alios singulares* Δ. — ad Att. III: 15^1 *qua me obiurgas et rogas, ut* Σ : *qua me obiurgas, ut* Δ. VI: 2^7 *triduum quadriduumve* HNO (EP desunt) : *quadriduumve* Δ (sed *nec* pro *ve* Ω). IX: 11^4 *(Nuntiant Aegyptum et Arabiam)* εὐδαίμονα *et* Μεσοποταμίαν *(cogitare)* OP (de parvulis discrepantiis cfr Lehmannus Att. 183 sq.) : εὐδαίμονα Δ. XII: 12^1 *(Insula Arpinas habere potest germanam)* ἀποθέωσιν; *sed vereor, ne minorem* τιμήν *habere videatur* ἐκτοπισμός) OPR Ant. F (Att. p. 184) : ἀποθέωσιν *habere* Δ.

XIII: 3^{1} (... *ad me refers*:) *qui si ipse negotium meum gererem, nihil gererem nisi consilio tuo* OPR (Att. p. 183) : *quid ipse negotium meum gererem nisi consilio tuo* Δ. 9^{1} ... *ad me venit, cum haberem Dolabellam, Torquatus, humanissimeque Dolabella, quibus verbis secum egissem, exposuit. Commodum enim egeram diligentissime; quae diligentia* ... OPR : *humanissimeque diligentia* Δ. 14^{2} *(de Caesare) si quid scies, si quid erit (praeterea scribes)* EOR : *si quid scies* Δ. 20^{2} *(... augere) non desinam. Ad Ligarianam de uxore (Tuberonis ... neque possum iam addere ... neque ...)* OPR : *non desinam. De uxore* Δ. XVI: 6^{3} *Bella reliqua reliqui* PR : *reliqua bella reliqui* O : *bella reliqui* Δ.

Quae qui perlustraverit, primo aspectu inveniet, librarium, qui Δ transscripsit, ob viciniam eorundem vel similiter cadentium vocabulorum lapsum esse atque ab altero ad alterum oculis aberrasse, quo nullus error est pervulgatior. Velut ad Att. VI: 2^{7} et XVI: 6^{3} genere non multum distant ab his: ad Brut. I: 10^{5} *qui quidem*] *qui* om. M^{1} GH : *quidem* om. N. ad Qu. fr. I: 3^{1} *flens flentem*] *flens* om. bN. ad Att. I: 16^{5} *illum illum* Mdm GO Rav. codd. Mal. : *illum* bs EHNP Pal., sim., unde simul intellegitur, codices diversi generis eisdem mendis infectos esse. Ac defectus orationis, quales invenimus ad Att. XIII: 3^{1}, 9^{1}, in nullo codice non deprehenduntur (velut cfr, si tanti est, E ad Qu. fr. I: 1^{33} p. 12, G ad Att. I: 16^{16} p. 11; II: 25^{1} *non quo faceret, sed ut faceret* CZ : *sed ut faceret* Ω, VI: 3^{5} *ei detulissem postea ... prefecturam detulissem Bruti*] *ei detulissem Bruti* W, sescenta alia, quae afferre supersedeo, ne in crimen molestiae incurram). Denique ad Att. IX: 11^{4} et XII: 12^{1} graecis litteris librarius deceptus est, ut a priore vocabulo transsiliens, tamquam posterius esset, porro pergeret, ut is, qui N scripsit, ad Att. I: 13^{4} *illustre* ... ἀττικώτερα omisit, 14^{4} qui P exaravit, *quo modo* et περίοδοι continuavit praeteritis vocibus intermediis, VII: 5^{3} *et habet alia* inter graecas voces interposita in HN exciderunt: quorum errorum eadem causa ac ratio est.

Sed quorsus haec tam multa de manifestis mendis librariolorum? Quia Schmidtius ea, quae in M desunt, arbitrio interpolatoris grassantis in Σ inserta esse sibi persuasit. Velut Philol. LV: 70[illegible] in verba illa *sed vereor ne minorem* τιμήν (ad Att. XII: 12^{1}) severe sane et graviter vindicavit: 'Es ist wohl', inquit, 'jedem klar, dass wir es hier mit einer aufdringlichen Interpolation zu tun haben'. Et in recensione sua mancam codicum Δ scripturam ἀποθέωσιν † *habere* retinet cruce addita suoque Marte temptavit in annotatione ascripta ('Briefwechsel' p. 472); neque aliter de XIII: 3^{1}, 9^{1}, 14^{2}

20[2] iudicavit l. l. pp. 499, 502, 505, 508. Qua quidem in re nescio quo modo vehementer erravit vir eruditissimus. Atque hic tamen nullam rationem habui testimoniorum codicum C et Z, qui cum Σ nihil commercii habent (v. cap. II), sed eandem persaepe lectionem praebent.

Iam si ceteros locos examinamus, ubi Σ integer est, Δ sive singula verba sive plura continua omisit, aut omnino non constare sine his sententiam apparet aut certe orationis nitorem ac venustatem imminui. Velut ad Att. I: 1[4] *ne contra* 20[7] *labore* IV: 12 *Idibus* VI: 1[22] *dies* sim. (cfr Lehm. Att. p. 134) abesse non possunt; IV: 1[4] *Ante diem VI Idus Sextiles cognovi, cum Brundisi essem, litteris Quinti mirifico studio . . . legem . . . esse perlatam* enuntiatum *cum Brundisi essem*, quo facile caremus, antea Tornesiani unius testimonio munitum Baiterus et Bootius a se impetrare non potuerunt ut hospitio acciperent: nunc adsunt alii quoque patroni NOP Pal. (= Σ, nam EGH hoc loco desunt), quorum omnium consensum Δ solus non potest infirmare ac diluere. Et lepide sane nec sine grata voluptate Tullius sententiola illa addita significat, celerrime sibi perlatas esse Quinti litteras (cfr Hofm.-Sternk. ad l.). Ac ne quis opinetur, correctoris cuiusdam opera atque arbitrio Σ emendatum esse, respiciat ad Att. XV: 3[1] . . . *accepi* ⟨*in Arpi*⟩ *nati duas epistulas* vulg. : *accepi nati* OPRZ : *accepi* Δ, ubi Σ non minus quam Z, de quo infra agemus cap. II, primitivam eandemque iam inde antiquitus leviter corruptam scripturam cum fide servavit. Alia eiusdem generis scite, ut solet, tractavit Lehmannus Att. p. 136 sqq.

Atque omnino, nisi me omnia fallunt, interpolationibus plane liberum erat ipsum archetypum Σ; nam in singulis libris scriptis talia inserta fuisse et ante diserte diximus et his aliisque similibus demonstratur. ad Brut. I: 17[1] . . . *reprehendere illius consulatum* . . .] *illius Ciceronis* P Pal. (= Φ). 17[5] *Quid enim nostra* interest, *victum esse Antonium, si* . . . P, quod idem Wesenbergius Em. Alt. p. 146 coniecerat: 'excidit', inquit, '*refert* aut *interest*, quod audiri vix potuit'. Sed ellipsin illam a cottidiano sermone non alienam esse documento sunt Plaut. Amph. 1003 *Quid* ⟨*id*⟩ *mea?* Ter. Phorm. 940 *Quid id nostra?* Cic. ad Att. IV: 5[3] *Quid enim tua?* Sen. Ep. 14[13] *Quid tua, uter vincat?* 91[19] *Quid enim . . . mea . . .?* Cfr etiam Lehm. Quaest. Tull. p. 9. — ad Att. I: 13[3] *cum apud Caesarem* sacrificium *pro populo fieret* sN. II: 8[1] *nulla enim epistula inanis* sine *aliqua re utili et suavi venerat* P, quae se quodam modo ipsa produnt. — Sunt etiam, quae, cum per se nihil offensionis habeant,

consensu ceterorum codicum redarguantur, velut P ad Brut. I: 17[5], de quo loco modo mentionem fecimus, 15[11] . . . *non magis mea fuit quam* ceterorum *omnium* H (ubi *ceterorum* nihilo vitiosius est quam *aliis* 16[3] : *non magis in te . . . quam in omnibus aliis* Ω; cfr etiam mutato positu de Fin. V: 20[57] *omnium ceterarum rerum obliti*, in Verr. IV: 50[111] *omnia se cetera pati). —* ad Qu. fr. I: 1[44] non solum . . . *sed etiam* s (cfr Hofm.-Sternk. ad Att. III: 15[5]). II: 1[1] *non existimo, cum Pompeius absit,* tamen *agri Campani causam agi convenire* ms (nisi quod m *causam* om.).

Ex contrario in uno vel altero codice hic illic interciderunt, quae sine detrimento orationis abesse possint, velut ad Att. III: 15[7] *totam Italiam . . . destitui et reliqui*] *et reliqui* om. Pal. Rav. — ad Qu. fr. I: 2[11] *Flavi . . . rem . . . tibi commendarunt, et ipse ad te scripserat Flavius, et ego certe*] *Flavius* om. bd. 2[16] *horum regum odio*] *regum* om. M[1] ms. — ad Att. V: 1[3] *Ego ipsa sum, inquit, hic hospita*] *ipsa* (i. e. *domina*) om. M[1] m. VI: 1[14] *Si, ut opto, non prorogatur*] *ut opto* om. M[1]. VII: 7[5] *neque tamen quemquam bonorum aut satis bonorum dubitare, quid . . .* M[2] bdms EHNP : *aut satis bonorum* a M[1] omissum in marg. a M[2] additum rursusque deletum est. Quae etsi nemo desideraret, si abessent, tamen optimorum plurimorumve codicum fide munita vindicantur ab iniuria. Accedit, quod orationi ubertatem lepidam Tullioque dignam afferunt, aut si laudanda non sunt et aliquando haud nimis scite conformata, sermonis epistolici licentia excusantur; nisi forte nobis tantum sumimus, ut ipsum Ciceronem Latine doceamus.

Iam vero illud perspicuum est, si forte variant structurae, non omnia ad unam regulam vi violentia exigenda esse, ne ipsis scriptoribus fastidiosiores videamur. Velut Wesenbergium sine iusta causa de ep. ad Brut. I: 17[5] dubitare paulo ante diximus; et si ad Att. I: 13[3] *sacrificium* in sN interpolatum est verbumque *facere* absolute positum notionem sacrificandi induere potest, non continuo sequitur, ut ea vox delenda sit cum Manutio et Baitero ad Brut. I: 15[8] *vos . . . ad aram in Velabro sacrificium facere soletis* Ω (cfr Tyrr.-Purs. ad l.). — ad Att. I: 17[8] *ut de eis, qui ob iudicandum accepissent, quaereretur* Baiterus et Wesenbergius *pecuniam* addi iusserunt, quod II: 1[8] de eadem re *qui ob rem iudicandam pecuniam acceperit* scriptum esset (ut Verr. III: 67[153] *cum ob iudicandum . . . pecuniam acceperat)*, sed *accipere* ad Att. V: 21[5] XI: 22[2] absolute positum esse Lehmannus Quaest. Tull. p. 15 ostendit; addo or. pro Clu. 27[75] *qui accipere in campo consuerunt.* — Pervulgatam denique esse clausulam hanc *Sed haec hactenus* nemo nescit, et

tamen *Sed hactenus* ad Att. V: 13[1] IX: 7[3] XIII: 9[1] XIV: 17[2] et *Haec hactenus* XVI: 6[2], quae editores non destiterunt lacessere, Muellerus in annot. ad p. 142[8] ascripta iure ac merito vindicavit; ep. XII: 25a *Verum haec hactenus* legitur.

Vulgaria haec sunt ac trita, et tamen ad eam quaestionem, quae est de interpolationibus, delatus, in quo campo audacius solet exsultare editorum libido et liberius vagari, facere non potui, quin universam rem paucis perstringerem; alia in altera parte addam de ep. ad Att. IV: 4a disputans. — Iam ad aliud παραβλέψεως genus idemque propinquum ei, unde exordium fecimus, animum attendamus, quod quale sit paucis declarabo: ad Qu. fr. III: 5[1] . . . *belle a me removisse, ad eos tamen ~~removisse~~ rettulisse, quos* . . . E. — ad Brut. I: 10[5] E, v. p. 13; 14[1] *Quae si ad te perlatae non sunt, ne domesticas quidem tuas perlatas arbitror*] . . . *quidem ad te perlatas arbitror* H. — ad Att. V: 20[5] *magna . . . copia, multis sagittariis, magno labore, apparatu, multis* sagittariis *sauciis nostris, incolumi exercitu negotium confecimus* P. — ad Qu. fr. I: 2[5] *et ex suis civibus et ex multis aliis*] *et ex suis civibus et ex suis aliis* P. — ad Att. II: 7[2] . . . *sane mihi iucunda sunt, eaque etiam velim omnibus vestigiis indagata* . . .] *sane vestigiis* bd. — XII: 44[2] . . . *et praeterea* ἐγγήραμα. *Nam illa . . . non satis* οἰκοδεσποτικὰ *mihi videntur*] *et praeterea* οἰκοδεσποτικὰ ἐνγήραμα *nam illa* . . . m. — III: 8[4] M[1] m, v. p. 33. — ad Qu. fr. I: 1[43] *Quodsi . . . praeter ceteros adiuvisti, certe idem, ut* . . ., *præter ceteros elaborabis*] *praeter ceteros* ~~*adiuvisti*~~ *elaborabis* M. — ad Att. VIII: 14[2] *cuius fugientis* ~~*socius*~~ *comes, rem publicam recuperantis socius* M. — V: 17[5] *Si . . . me amas, hunc locum muni*] *muni* CZ : *ama* Ω. — ad Brut. I: 15[3] *Tu hoc; alius fortasse, quod* . . ., *nisi forte utrumque tu* Crat., Lamb. : *nisi fortasse* Ω.

Simili errore lapsus is, qui Δ transscripsit, vocabula vicina praeripuit aut perperam repetivit aut paulo mutata pro veris substituit: ad Att. IX: 8[1] *De L. Torquato quod* modo *quaeris, non modo Lucius sed* . . . VIII: 9[3] *Lepido . . . numquam placuit* . . ., *Tullo multo minus* movebant minus. *Crebro enim . . . Sed me . . . minus movebant; minus multa dederant* . . . VIII: 11[7] . . . *esse dicuntur. Scio equidem . . . Memini librum tibi afferri a Demetrio Magnete ad te missum* scio περὶ ὁμονοίας. V: 6[1] *Quod Pomptinum statueram exspectare, commodissimum duxi* exspectare *dies eos . . . cum Pompeio consumere* (nisi quod in s posterius *exspectare* omissum est, v. p. 73; cfr II: 13[1] *ad tuas suavissimas epistulas* scriptam *neminem* M[1] bdm Σ : *scriptam* om. M corr. = M[4], s). V: 21[4] . . . *confirmas, moram mihi nullam fore; deinde addis* . . ., *te ad me esse venturum*] *fore*

venturum Δ, quod a Ciceronis consuetudine abhorret, cfr 'Neue-Wag.' III: 173. — XIII: 21[1] *Huic . . . rescribam alias. Nunc alia malo*] *alias* Δ. V: 21[5] *Sed posthac omnia, quae recta non erunt, pro certo negato*] *certa* Δ. IV: 17[2] *qui se dicerent... scribendo affuisse, cum omnino ne senatus quidem fuisset*] *affuisset* Δ.

His omnibus locis Σ memoriam incorruptam servavit, quae nonnumquam aliorum quoque librorum testimoniis confirmatur (velut ad Att. V: 21[5] *recta* CZ). Quae cum ita sint, non est dubium, quin ad Att. I: 13[2] cum Σ legendum sit: *Consul autem ipse parvo animo et pravo tamen . . ., facie magis quam facetiis ridiculus, a quo nihil speres boni rei publicae, quia non vult, nihil metuas mali, quia non audet*] *nihil speres mali* ex proximo ascitum Δ, Muell., Purs , Tyrr.-Purs. : *nihil mali* (om. *speres*) Baiterus, Bootius. Nam etsi eiusdem vocis repetitio interiecto haud magno spatio per se nihil offensionis habet, et Metellus Ep. V: 1[2] *Te tam mobili in me meosque esse animo non sperabam* et Cic. pro Sex. Rosc. 4[10] *id quod non spero* (cfr Landgrafius ad h. l.) in neganti sententia *sperare* pro eo quod est *opinari* utuntur, quorum tamen locorum paulo diversa est ratio ac natura, — sed ut dicere institueram, etsi defendi potest codicum Δ memoria, tamen cum figurata huius enuntiati oratione *(parvo animo et pravo tamen, facie magis quam facetiis ridiculus)* et quadrandi sermonis industria opposita inter se illa *speres boni* : *metuas mali* et *non vult* : *non audet* aliquanto melius consonare nemo non videt. Accedit testimonium codicum Σ maximi momenti et ponderis : nam si demonstrari posset, Σ hic illic interpretationes pro genuinis verbis substitutas habere, nullum ultra verbum aut operam insumerem inanem; nunc autem cum ex omnibus, quae ante allata sunt et post afferentur, Σ multo meliorem esse quam Δ atque ab origine propius abesse eluceat cumque nullus error in libris scriptis frequentior sit quam prava iteratio vicinorum vocabulorum, *metuas* restituendum est.

Atque horum errorum causa atque origo manifesta est: sequitur, ut alias discrepantias paulo reconditiores inspiciamus, unde intellegitur, Δ interpolationibus non liberum fuisse. ad Att. IV: 15[4] *Ex quo intellectum est,* τρισαρειοπαγίτας *ambitum, comitia . . ., totam denique rem publicam flocci non facere, patrem familias domi suae occidi nolle, neque tamen id ipsum abunde; nam absolverunt XXII, condemnarunt XXVIII*] *occidi* Schützius, vulg. : *occidere* codd.; ante *patrem* in Δ insertum est *debemus,* de quo Sternkopfius, peritissimus harum rerum existimator, Herm. XL: 27 sq. his verbis egit: 'Ich bin deshalb (i. e. quia in Σ deest) der Ansicht, dass es inter-

polirt ist: *occidi* wurde vermutlich zuerst zu *occidere* verderbt, dann vermisste der Interpolator das Subjekt zu *occidere nolle*, da er den Zusammenhang mit dem Vorhergehenden verkannte, und schob, einen neuen Satz beginnend, *debemus* ein. Wie man aber auch über die Entstehung der Verderbnis urteilen mag, über Sinn und Zusammenhang kann sich kein Streit erheben'. — Idem vir eruditissimus l. l. p. 21 certa emendatione ad Att. IV: 16^1 in pristinam elegantiam restituit: *Illa* (sc. epistula) *fuit gravis . . ., quam mihi M. Paccius . . . reddidit . . . Paccio et verbis et re ostendi, quid tua commendatio ponderis haberet.* Pro *Paccio*, quod Bootius retinuit, Muellerus et Purserus cum M^1 *Paccio ratione* scripserunt, Baiterus *Paccio oratione;* Tyrr.-Purs. denique in altera editione *Paccio et oratione et re ostendi* receperunt. Qui omnes interpolatione captiosa *ratione* decepti quantum aberraverint coniecturis, ex codicum discrepantia facile intellegitur, quam hic perscribam, quo evidentius appareat, a qua origine orta quibus gradibus deducta corruptela latius serpserit: *Paccio*] *actio* E : *actione* GH : *pactione* P Pal. Rav. (Φ, sed *-oni* P) : *ratione* N : *paccio ratione* M^1 m : *pactio ratione* M^2 bd
pactio ~~*al'. Actio*~~
(in M haec sunt: ~~*paccio*~~ *ratione,* corr. M^2; de lectionibus M^{2}al'. E v. p. 44): *pactii oratione* s. In Δ igitur primitiva scriptura cum depravata commixta est; cfr ad Brut. I: 17^1 (agitur de Ciceronis consulatu): *reprehendere illius consulatum*] ubi pro *illius* P Pal. *illius Ciceronis* habent; ad Qu. fr. III: 8^5 *Serrani Domestici* M^3 s Σ : *serranido mestitii* M^1 m : *serrani domestici mestitii* bd. I: 1^{45} *quod ad laudem attineat* ΔEPPal. : *pertineat* GH : *pertineat seu actineat* N. — De ep. ad Att. XV: 18^1 cfr Lehm. Att. p. 139; IV: 4a^1, ubi *bibliotheca* in Δ, unde in N quoque migravit, interpolationis speciem prae se fert (om. GHOP Pal. Rav., E deest), infra uberius tractabo. — Restat ad Att. III: 9^2 *Sed tecum haec* omnia *coram agemus* Δ, ubi vocem *omnia* in Σ omissam nihil esse videtur cur eiciamus, nisi quod universa natura codicum ac ratio eam dissuadet potius quam commendat; fieri tamen potest, ut in Σ quoque vocabula intercīderint. Sed Tornesiani testimonio, quem ex Σ non pendere infra videbimus, satis comprobatur, etiam hoc loco Σ genuinam memoriam servasse.

Atque haec de interpolationibus dicta sunto: iam relinquitur, ut leviores quasdam discrepantias percenseamus. Velut constat, in libris minusculis litteris scriptis *u* et *i* cum *a* saepissime commutari, unde ortae sunt varietates hae: ad Att. IV: 19^1 . . . *et ille Latinus* ἀττικισμός Σ : *latinas* Δ. I: 5^2 *quantae mihi curae fuerit*

Σ : *fuerat* Δ. — Consonantium permutatio aut compendiorum prava interpretatio errores creavit, quales sunt ad Qu. fr. II: 11[1] *discingor* Σ (sed *dicingor* P) : *distingor* M : *distringor* M[2] c[s] bd : *distinguor* ms. III: 1[1] *Ibi Mescidium*] *mescidium* Σ : *in excidium* Δ. ad Att. V: 20[4] *eiusdem* ENP : *eius dein* Δ. III: 7[1] *nam castellum* . . . Σ : *natura* Δ (scil. ex *nã* ortum). ad Qu. fr. II: 10[2] *in Euphrati Zeugmate*] *zeumate* O[1] Pal. : *çeumate* G : *reugmate* P : *çemate* N : *et eugmate* ΔH (Z eodem modo interpretati sunt atque 7 notam distinguendi, quam saepius ac iterum in *et* abiisse monuimus p. 38 sq). — Porro peccavit is, qui Δ transscripsit, syllabas litterasve affingendo aut detrahendo ad Qu. fr. III: 1[20] *valde te sibi gratum fecisse* Σ : *valde de te* Δ (sed *de* expunctum in s). ad Att. II: 16[2] *quid futurum fuerit, si Bibulus* . . . Σ : *sibi Bibulus* Δ. — IV: 1[4] *quae res animadversa a multitudine* NOP Pal. : *a* om. Δ. II: 1[8] *tamquam in Platonis* πολιτείᾳ Σ : *in* om. Δ. VI: 1[14] *sum in magna . . . perturbatione* Σ : *in* om. Δ, et quidem omnibus locis post similes exitus antecedentium vocabulorum. — Prava distinctione litterarum syllabarumve ortae sunt discrepantiae ad Qu. fr. III: 1[11] *placere me ad eam rescribere* Σ praeter P : *placere eidem rescribere* P : *placere m eadem in re scribere* M (*in* del. M[4]?): *placerē ead in re scriberē* m : *placere eadem in re scribere* bds (sed *-erem* s). ad Att. II: 6[1] *duum virum* GHN Pal. (E deest) : om. cum spatio P : *diu nimirum* Δ. IV: 8a[2] *quod ab iisdem* (vel *hisdem*) NPC (EGH Pal. desunt) : *quod dabis dein* Δ, cfr etiam III: 15[2] *plus apud me simulationem aliorum quam istius fidem valuisse* M[3] in marg. (sed del.), M[4] corr. in textu, Σ : *malorum* Δ (sed *malorem* s). — VI: 3[9] *ne quid eum offendam* HNPW : *ne quidem eum* Δ. In eundem numerum refero ad Att. IV: 3[3] *de cuius constantia vitae tuae verissimae litterae*] *vitae tuae* NP Pal. Rav. Ant. : *viri tuae* Faërn. : *virtute* Δ : *virtute tuae* vel *et virtute tuae* edd. (EGH desunt.) — Multa denique proximis vocabulis accommodata sunt, velut ad Att. IV: 17[4] *Ibi loquetur . . . libere nemo* NOP Ant. C : *liber nemo* Δ. V: 1[3] *si qua fuerat ex ratione sumptus offensio* ENOPC : *ex ratione supradicta offensio* GH : *ex ratione sumpta offensio* Δ Pal. Rav. (ubi casu factum esse apparet, ut is, qui archetypum Palatini et Ravennatis scripsit, eodem errore sane proclivi lapsus sit cum librario codicis Δ). VI: 3[7] *licebit eum solus ames, me aemulum non habebis* ΣW : *eum solum* Δ. IV: 18[2] *Tu ergo haec quo modo fers? Belle me hercule* E : *fers vellem hercule* O[1] P (sed in P add. *videres*) : *fert vellem me hercule* N : *ferre vellem hercule* Δ.

Ac ne quis suspicetur, Σ ex archetypo mendose scripto ma-

nasse, postea menda a correctore quodam sublata esse — etsi nihil sane est, cur in re manifesta tergiversemur —, perpendat huiusmodi discrepantias: ad Qu. fr. II: 5^{1} *clamore senatus prope contionali*] *contionalem* M^{3}Σ : *contionem* M^{1}bd : *cautionem* ms. II: 14^{4} *Ambitus redit... numquam fuit par. Idib. Quint. faenus fuit...*] *quintanus* M^{2} al. HN : *quinctanus* GP Pal. : *qui ne tantus* Δ. III: 9^{6} *ne accidat, quod Erigonae tuae* C, vulg. : *ergo naetuae* M^{3} : *eg̃o nactue* E : *g̊ nate tue* P : *ergo ne tue* G : *ego ne tue* H : *ego* cum spat. N : *ergo nature tue* OPal. : *ergo nactus* Δ (sed *ego* s). — ad Att. II: 7^{3} *Druso... Pisaurensi an epuloni Vatinio reservatur* Z : *pisaurensia nepoloni* M^{2} al'. GHN : *pisaurentiane poloni* P : *pisaurentia neptolimi* Pal. : *pisaurensia neptiloni* Δ; quae indicio sunt, Σ memoriam leviter depravatam religiose servasse neque emendando in deterius mutasse, quam tenacitatem bonorum codicum, qui ab origine propius absint, propriam esse nemo est, quin notum habeat.

Quae cum ita sint, hic suboritur quaestio, num Δ ex Σ fluxerit pendeatve. Cui rei obstant, si quid video, lectiones in Δ meliore nota quamvis haud sane multae, velut hae:[1] ad Att. III: 23^{5} *Tu ad me velim* Δ : *tua ad* Σ. V: 15^{2} *ne illud... versura mihi solvendum sit* Δ : *versuram mihi* Σ, quibus locis litterula ex sequenti voce adhaesit priori. — VI: 1^{18} *post eum* Δ : *potest* NPW. I: 14^{4} *tecte* Δ : *tecto* Σ. II: 5^{1} *tecum* Δ : *tectum* Σ. — Exciderunt in Σ voculae non prorsus necessariae illae quidem, sed quibus aegre careamus, velut ad Qu. fr. II: 1^{1} *Causa sero perorata* Δ : *sero* om. Σ. — Permutationi litterarum *e* et *t* assignanda sunt menda, quale est hoc: I: 20^{2} *Verum* Δ Pal. : *Utrum* Σ pr. Pal. — ad Brut. I: 2 a^{2} *neque... populum... eundem habebitis neque senatum neque senati ducem* Δ : *senatus* Σ, codicum Δ memoria tenenda est; nam etsi ex verbis Quintiliani Inst. Or. I: 6^{27} Quid de aliis dicam, cum *senatus senati* an *senatus* faciat incertum sit? utramque figuram diu viguisse intellegitur, cui rei inscriptiones quoque indicio sunt, tamen in scriptis libris *senati* in alteram *senatus* et usu et grammaticorum praeceptis vulgatam facilius mutari potuit; Charisius quidem p. 143 K. diserte testatur, *senati* scriptum esse Div. in Caec. 5^{19}, ubi nostri

---

[1] Etenim his exemplis, quibus Lehmannus Att. p. 134 sq. demonstrare studuit, Σ non liberum fuisse erroribus, ubi M+s veram lectionem servent, nihil efficitur: ad Att. III: 15^{4} *laetere* M^{2}c^{s} (in mg.) M corr. (in textu) bdms : *latere* M^{1}Σ. 23^{4} *tamen* M corr. (=M^{4})s : *tam* M^{1}bdmΣ. *quidlubet* M corr. s : *quid iubet* M^{1}bdmΣ. IV: 2^{3} (POSSE...) EAM (PARTEM... RESTITUI) M corr. (=M^{4})s : *iam* M^{1}bdm Σ. I: 20^{1} (Lehm. Att. p. 46) *ei nunc epistulae*] *ei* M corr. ms : *et* M^{1}bdΣ. II: 1^{5} *ei liciturum esset plebeio rem publicam perdere* M^{4}s : *plebeiorum* M^{1}bdmΣ.

quidem codices *senatus* praebent, et Ep. V: 2^9 M *senati* solus retinuit, GR in *senatus* mutarunt, II: 7^4 *senati consultum* M : *senatus consultum* M corr. rec. G : notis expressit R. — Accedit, quod M^1 quamvis perpaucis locis primitivam scripturam nominum propriorum solus retinuisse videtur, ut ad Qu. fr. II: 3^3 *quam Africanus fuisset, quem C. Carbo interemisset*, ubi M^1 *C. Carbo* et in textu habet et in margine ascripsit ut vocem notabilem, quod indicium est et vestigium priscae vetustatis (cfr p. 38) : *C. Cato* M^2 (utroque loco) bdmsΣ. ad Att. VIII: 12^2 *per L. Caesarem et Fabatum* M^1Z : *Fabium* M^2bdmsEP (v. p. 78). Ex quibus omnibus concludere licet, Δ nota signatos libros, inter quos longe praestat M^1, suae potestatis esse. Simul hoc apparet ex comparatione discrepantiarum, quae sunt inter Σ et Δ, ex uno eodemque codice (Ω) litteris minusculis exarato ambo manasse, quem ab CWZ seiungendum esse multa testimonia documento sunt (cfr cap. II).

Haec igitur erit summa disputationis, archetypum Σ neque contaminatum neque interpolatum fuisse sed aliquanto accuratius transscriptum quam Δ atque a communi parente Ω propius afuisse.



7. De mutuis nexibus codicum Σ et Δ.

Inter familias Σ et Δ, quarum utramque sui iuris esse vidimus, tamen commercium quoddam dandi et accipiendi olim fuisse cum per se veri simile est tum vicissitudinibus lectionum comprobatur, quarum ratio ab alia origine repetenda esse videtur quam discrepantiae, de quibus ante disputavimus.

Sed antequam mutuos illos nexus et implicationes enodare aggrediamur, in rem videtur eiusmodi lectiones diversorum codicum seiungere ac seorsum tractare, quae casu ac fortuito potius consentire videantur quam aliunde mutuae sumptae esse. Velut ad Qu. fr. I: 2^7 *cum . . . innocentia non vincant, vincunt tamen artificio* in M^1N intercidit *vincunt* (alia id genus attulimus p. 64). ad Att. IX: 6 A *festinationi . . . ignosces. Reliqua ex Furnio cognosces* in M^1P clausula deest, quam in utroque archetypo

fuisse ceterorum consensus evincit. — ad Brut. I: 5² . . . *cogitabis diligentius, statues sapienter*] *sapientius* bH. ad Qu. fr. III: 4¹ *hoc iudicium . . . reliquis iudiciis . . . nulla iudicia . . . Quid plura de iudicibus?*] *de iudiciis* HPal. — ad Qu. fr. I: 1⁷ *si te ipse contineas*] *te ipsum* sE. ad Att. V: 1³ *ex ratione sumptus offensio*] *sumpta* Δ Pal. Rav., v. p. 70. — ad Qu. fr. II: 7² *per mihi benigne respondit*] *perbenigne mihi* sP. De Att. I 13³, ubi *sacrificium* in sN interpolatum est, egimus p. 66. Haec et alia permulta eiusdem generis, quae non opus est enumerare, fortuita esse nemo non videt. — Est etiam, ubi codices diversae originis levioribus vulneribus eandem medelam adhibeant, velut ad Qu. fr. II: 4⁶ *damnationes inimicorum* sP : *munitorum* rell. 8¹ *insulsa* sF : *infusa* rell.; de M⁴s v. p. 56.

Neque dubium videtur, quin similitudines quaedam Urbinatis (s) cum Σ in hunc numerum ascribendae sint, quarum nonnullas ante in transitu perstrinximus, velut ad Qu. fr. III: 1²⁰ *valde te* Σ : *valde de te* Δ, sed *de* s, v. p. 70; ad Att. V: 6¹ *duxi* Σs (p. 67) : *duxi exspectare* Mbdm. Alias hic addam: ad Brut. I: 18¹ *arcesseremusne te . . . an tardare et commorari te melius esset* sΣ : *an tardare an commorari* Mbdm. ad Qu. fr. I: 1¹⁹ *tu in iis* (*his*) sΣ : *tuis in his* Mb¹d¹m¹ (corr. b²d²m²). ad Att. V: 13¹ *mirabilem in modum* sNOP : *mirabilem* Δ praet. s. IV : 17² *qui se* sNP Pal. Rav. (EGH desunt): *qui sequi se* Δ praeter s. Cum enim s textum emendatum praebeat (p. 16), Σ autem ea, quae in Δ leviter corrupta erant, sescenties sincera atque integra servaverit, facillime fieri potuit, ut ea, quae corrector quidam suo Marte in pristinum restitueret, cum Σ congrueret. Ex qua re simul intellegitur, quantum opinione lapsus sit Platnerius 'Am. Journ. of Phil.' XX (a. 1899) p. 432: 'Cod. Urb. 322, which represents', inquit, 'a commingling of the two texts' (cfr etiam Schanzius, 'Gesch. d. röm. Litt.' I: 2 p. 333). Videtur autem vir eruditus exemplis Lehmanni (Att. p. 43 sq.) in errorem inductus esse, quorum ratio quae sit, hic paucis declarabo:

a. Tollenda sunt haec: VI: 1²⁵ *hec ego* ΩW. VII: 13⁷ *tua* Ω. VIII: 7¹ *Domitius* Ω. XI: 15⁴ etiam M *hec* habere videtur. XV: 7¹ *persequitur* Ω (sed *prosequitur* b).

b. M¹ solus a ceteris omnibus dissentit: II: 4⁴ *nimis*] *minus* M¹ (superscripto et eraso *nimis*). X: 10⁴ *mihi tuae litterae*] *tuae mihi litterae* M. XVI: 2⁶ *domo mittito*] *dum omittito* M¹.

c. M¹m contra reliquorum consensum conspirant: I: 14¹ *ita* om. I: 13² *litteras ad Sicyonios* M³bdsΣ : *ad Sicyonios litteras* M¹m (v. p. 18); III: 8⁴ *et* bdsΣ : *ac* Mm. V: 1³ *ipsa* M³bdsΣ (sed erasum

in M): om. M[1] m. 9[1] *sine impedimentis* M corr. bds NOP : *sine i* *impedimentis* M corr. m : *sin eis impedimentis* M[1] (~~*sine is*~~ *sin-e{}* M).

d. s a ceteris discrepat: VI: 1[25] *mihi obviam venit* ΣW : *ven* *mihi obviam* Mbdm : *mihi venit obviam* s.

Restant igitur ex magno illo numero haec tria: II: 1[6] *it* *praecautum atque provisum* sΣ : *atque ita* Mbdm. V: 13[1] *in m* *dum* sΣ : om. Mbdm[1] (v. supra p. 73). VIII: 4[1] ... *Aristoxenu* *diceres arcessi, non unum omnium loquacissimum* Σ : *hominu* M[1]bdm[1] : *novi unum hominem* s contaminatis simulque in peiu mutatis utriusque familiae lectionibus; etiam in margine Medic pro illo *hominum* (non *hominem!*) ascriptum et post deletum e *non unum* M[2]; in marg. Berolinensis eadem, ut videtur, manu : *non unum*. Qui locus dignus esse videtur, in quem diligenti inquiratur.

Cum igitur his tam paucis locis casu magis quam consult Urbinas cum Σ congruere videatur, ad alium eundemque mult graviorem consensum animum advertamus, cuius antea in tran cursu mentionem fecimus, eum dico, qui est inter M[1] et Σ, c quo nunc locus ac tempus est uberius disserendi. Velut ad Bru I: 11[2] (v. p. 47) *Huic persuadere cupimus, ut ... remaneret* nostr quidem aetatis editorum nemo fuit, quin Medicei memoriam *cup* *mus* (= *cupivimus*, cfr 'Neue-Wag.' III: 449) Cratandri quoque coc cis C testimonio confirmatam alteri *coepimus* praeferret veteribu editoribus (A[2], c, lens., Rom.) probatae, etsi ceterorum codicu scripturam non cognoverant: *cupimus* M[1]Σ : *c(o)epimus* M[2] c[s] bdn (in M *ce* superscriptum et post erasum est). De Att. IV: 2[4] *V* *tandem tibi* (M[1]Σ : *sibi* M[2] c[s]bdms, v. p. 47) *de mea voluntate conce* *sum est* vehementissime contenderunt nec quicquam profecerun incertum esse ad Qu. fr. III: 5[6] p. 56 concessimus: *et qui omn* *adnuit debere tibi valde renuntia[n]t*: *adnuat* M[1]Σ : *adiurat* M[2]bdm Levissima denique corruptela laborat ad Att. III: 15[4] *efficiam,* *maxime laetere unus ex omnibus amicis* M[2] c[s] M[2]bdms : *latere* M[1] (p. 71 ann.). Quae consensio Medicei et archetypi Σ nova sa atque inaudita aliis quoque permultis locis deprehenditur velut hi

ad Brut. I: 13[1] *necessitudinem nostram ... obtestans* MΣ *ostentans* bdms. ad Qu. fr. II: 2[1] *Pomponianis* MΣ : *Pompeian* bdms. 8[3] *et valetudine est et natura* MΣ (sed *est* om. OPal.) :

ıatura est et valetudine bdms. — ad Brut. I: 4^3 *vir optime ac for- ïssime* M^{1}Σ : *atque* M^{2}bdms. 5^3 . . . *haberi, nam et factum est an- ïca* M^{1}Σ : *nam etiam* M^{2}bdms, vulg. 17^2 . . . *consularis aut Ciceronis ·st?* M^{1}Σ : *ut* M corr. bdms. — ad Qu. fr. II: 11^2 *Tyriis* M^{3}Σ : *tyrrus* I^1 : *syriis* M^2 bdms.

Att. I: 1^2 ἀδύνατον] ΑΑΥΝΑΤΟΙJ M^1 : ΑΑΥΝΑΤΟΝ G : ΑΑΗ αθων P : ἀδύνατοι M corr. (in marg.) bdm ascripta interpretatione *mpossibiles* : om. s, sed in marg. *impossibiles.* IV: 16^3 *ioculatorem* I^{1}Σ : *ioculatoriae* M corr. bdms.

IV: 16^{15} (16^7) *isti visurus* M^{1}GHNP (desunt EPal.) : *is te* I^2 c^s bdms (cfr Sternkopfius Herm. XL: p. 24). 17^4 *ut cum* M^{1}NP sed *tū* pro *cum* N) : *vultum* M^2 c^s bdms. V: 6^2 *abesse* M^1 Σ : *adesse* I^2 c^s bdms. VIII: 11 B^3 *quod te* M^{1}EP : *quo die* M^{2}bdms.

Haec et id genus alia non uno nomine digna sunt, quae ttento animo perpendantur. Ac primum quidem evidenter con- ırmantur haec duo, quae ante invenimus, primum Coluccium, si a arietatibus M^2 al' discesseris (v. p. 44), ad librum suum corri- endum codices eiusdem familiae Δ adhibuisse, sed qui ab ipso arente Medicei diversi essent, deinde Berolinensem (m) ex M non ransscriptum esse. Consensum vero Medicei cum archetypo alte- ius familiae non modo bonarum lectionum verum etiam prava- um ad communem aliquam originem redire nemo non videt. ıc peropportune accidit, quod res ipsa eo ducit, ut non modo pinari liceat verum etiam certi aliquid de recondito illo fonte onstituere. Velut inspiciamus haec duo: ad Att. VIII: 12^2 *Vam certe neque tum peccavi, cum imperatam iam Capuam on solum ignaviae dedecus sed etiam perfidiae suspicionem fu- iens accipere nolui, neque cum post . . . cavi*] *imperatam iam* M^1 PCZ, Lehmannus teste Pursero, Purs. : *imparatam iam* M^{2}bdms : *nparatam* (om. *iam*) Iens., Bait., Muell., Bootius, Tyrr.-Purs. Varie- ıs illa facillima est ad explicandum; *p* enim est compendium non ıodo *per* syllabae sed etiam harum : *par* et *por*, ut in *parte* = *pte*, *mpore* : *tempe*, neque tamen esse videtur, cur a vetustiorum codi- ım memoria recedamus. VII: 9^4 *praeteriit tempus non legis, sed bidinis tuae, fac tamen legis; ut succedatur, decernitur* C : *n legit ut succedatur* M^{1}ENOP (sed *legas* N) : *non legitimum ut ıccedatur* M^2 bdms : *legitimum* (om. *non*); *ut succedatur* A^{1,2}. Qui- ıs haec continuo subiungam, quo planius ante oculos ponam, ıibus gradibus res progressa sit: ad Brut. I: 12^1 *summa suppli- a* Md^1 Σ : *multa* bd^{2}ms. ad Att. V: 15^1 *cursum* M^{1}dΣ : *cursus* M^2 ns. ad Qu. fr. III: 1^7 *Non enim concedo tibi, plus ut illum ames,*

quam ipse amo $Md^1m^2\Sigma$: *quam ego amo ipse* bd^2m^1s. I: 1^{46} *vale* M^2dmsO^2 : om. $M^1b\Sigma$. II: 14^4 *Idib. Quint. faenus fuit bessibus ex triente* Vict. (coll. ad Att. IV: 15^7) : in codicibus pro notis, quae sunt *S*≍*ex*≍≍, varia exarata : f≈*ex*≈≈ G : ĵ*Z ex Z*≈ M : f*Z ex ZZ* Pal.: *s*ʔ *ex* ʔʔ P : *Z ex ZZ* m ; *et lʒ* H : *et ex* (sequ. spat.) bds : om. N. II: 4^7 *sed quosdam venisse . . . dicebant . . . Eosdem aiebant nuntiare te . . . transmissurum* $M^3\Sigma$: *eodem aiebant* M^1 : *iidem aiebant* M^2bdms. 11^1 *Mihi crede, in sinu est, neque ego discingor* Σ : *distingor* M^1 : *distringor* M^2c^sbd : *distinguor* ms.

Sed de exemplis hactenus, quorum ratio quae sit, iam designare aggrediamur: etenim si cui propositum est stemma codicum, quicumque sunt, constituere ac discrepantias et quasi ramos ab ultima stirpe repetere, lectionibus superstitum librorum nisus testimoniisque deperditorum, si qua memoriae tradita sunt, adumbratam potius imaginem delineare satis habeat quam ipsam effigiem exprimere. Ac nostros quidem libros in duas familias Σ et Δ paulatim concrescere vidimus, quarum utraque progredientibus aetatibus deterior facta est, ut singuli codices per se ipsi communem parentem neque reddere neque aequare possint. Ipsum vero archetypum alterius classis Σ, unde manarunt libri non ita multi iique magnam partem mutilati, alteri Δ praestare constat, ex quo numerosa sane proles et integra illa quidem sed a communi fonte Ω maiore intervallo remota propagata est. Quae cum ita sint, consentaneum est, Δ quoque suos gradus et quasi processus habuisse et antea a parente illo Ω propius afuisse simulque ad similitudinem propinqui sui Σ accessisse, a quo post paulatim discessit. Cuius rationis si qua sunt vestigia reliqua, in Mediceo potissimum exquirenda ac persequenda sunt, quem, etsi erroribus suae praesertim prosapiae haudquaquam liber est neque fundamentum totius rei criticae habendus, tamen ceteris bdms praestare superiore disputatione satis demonstratum esse videtur. Atque ea ipsa vestigia sunt varietates $M^1\Sigma$, quibus simul redarguitur ratio Schmidti, M^1 fundamentum esse rei criticae, Σ interpolatos et contaminatos : ex ipsa consensione enim $M^1\Sigma$ elucet, quanti Mediceus faciendus sit. Ac ne quis suspicetur, M corrigendo familiae Σ assimulatum esse — etsi nihil est, cur deverticula potius ac flexiones quaeramus quam recta via, quam ipsa veritas monstrat, pergamus — respiciat et parvulas discrepantias, quales sunt ad Qu. fr. II: 4^7 *eosdem* : *eodem* : *iidem*, 11^1 *discingor* : *distingor* : *distringor* vel *distinguor* (v. paulo supra), quibus quasi gradibus deductam fuisse corruptelam deprehendimus, et eos locos, ubi non in Mediceo solo

sed in aliis quoque codicibus (ut d) vestigia quamlibet pauca et leviter impressa restant, velut ad Brut. I: 12[1] *summa* Md[1]Σ : *multa* bd[2]ms. Atque sic censeo, ex consensu non modo librorum Σ et Δ verum etiam Σ et M[1], sive bonae sunt eae lectiones sive malae, de archetypo Ω iudicari posse, varietates M[2]bdms emendationum loco habendas. Iam vero ipsum Ω hic illic mendis laborasse manifestum est, quae unde nata sint ex testimoniis Germanorum et Gallicorum codicum CZ saepe deprehenditur (v. p. 91 sqq., Tyrr.-Purs. I: p. 114), ut ad Att. VII: 9[4] (p. 75), ubi *non legit ut* in Ω fuisse apparet proclivi sane errore: quo uno exemplo tot tamque diversorum codicum memoriam perpetuo tenore oculis subiectam habemus.

Quae quoniam certa et clara videntur, porro pergamus ad alia similia, quorum hoc proprium est, ut ex numerosa illa ac pervulgata progenie classis Δ, quam M[2]bdms referunt, varietates in unum vel alterum codicem prosapiae Σ irrepserint (etsi nonnulla fortuita esse posse concedimus), ut in

E : ad Qu. fr. II: 5[2] *veni ad Quintum eumque vidi*] *et quem* HN : *ecquem* Pal. : om. P : *et que* M[1] : *& que* G : *eumque* M corr. bdmsE. ad Att. VII: 7[5] *nisi eos timere putas . . ., qui id numquam . . . recusarunt*] *qui id* HNOPC : *quid id* M[1] : *quod* M[2]bdmsE.

GH (G, H): ad Qu. fr. II: 5[3] *simul et ille venerit*] *simul et* M[1]GNO[1]P Pal. Ant., Purs. : *simul ut* M[2]bdms HO[2], Bait., Muell. : *simul ac* Iens. (tenendum est *simul et*, cfr J. C. Jonesius in Arch. Woelffl. XIV: 246 sqq.). ad Att. V: 15[1] *Ex hoc die clavum anni movebis* M[1]NO[1]PZ (res ortographicas non curo) : om. M[2]al'bdms GH.

N : ad Qu. fr. I: 1[37] *quod vitium cum . . . animi . . . infirmi videtur, tum vero nihil est . . .*] *videtur* M[1]EGHOPPal. : *videatur* M corr. (*-a-* superscr. et post del.) bdmsN. ad Att. I: 18[1] *Nihil mihi nunc scito tam deesse quam hominem eum, quocum omnia, quae me cura aliqua afficiunt, una communicem, qui me amet, qui sapiat, quicum ego colloquar, nihil fingam, nihil dissimulem, nihil obtegam*] *quicum ego colloquar* Σ praeter N (sed *quo cum* H) : *quicum ego côloquar* M[1] (*cô* erasum est, sed vestigia manent) : *quicum etiam loquar* bds : *qui cum ego etiam loquar* N : *quicum ego êt* (= etiam) *loquar* M[2] (*et* cum arcu in loco raso, ubi ante fuit *cô*) : *qui cum ego & loquar* (*col* superscr.) m : *quicum ego cum loquar* Orellius, Lehmannus 'Woch. f. kl. Phil.' XIII (1896) 557 sqq., Muell., Purs. sine causa (alii alia frustra temptarunt, v. infra). II: 4[1] *Si in eo, quod ostenderat, non stat*] *quos* M[1]M[3]GHPPal. (E deest) : *quod* M[2]bdmsN.

P : ad Qu. fr. III: 1^{11} *Caesaris consilium probo, quod tibi amantissime petenti veniam non dedit, uti . . . rescriberet* vulg. : *petendi* M^{1}EGHNO Pal. : *petenti* M^2 bdmsP. ad Att. VII: 13^2 *Spes omnis in duabus . . . legionibus*] *legibus* M^{1}EHN : *legionibus* M^{2}bdmsP. IV: 12^1 *Sed ego cum eo . . . Anti egi*] *anti(i)* M^{1}GHN, duo codd. Malaesp. : *ante* M corr. bdmsP.

Pal. : ad Brut. I: 17^3 *nec ignoro*] *ne* M^{1}EGHNP : *nec* M corr. (add. *c*) bdms Pal. ad Qu. fr. II: 7^1 *Placiturum tibi esse librum II suspicabar* (sic enim legendum est; cfr Sternkopfius, Ann. rel. Burs. CXXXIX (1908) p. 55) : *l. u.* M^1 : *Lu.* G : *l. n.* NP : *librum · II ·* O : *Lucilium* H (E deest) : *librum meum* M^{2}bdms : · *L* · *meum* Pal. III: 3^4 *et ipse puer magis illo declamatorio genere duci et delectari videtur* vulg. : *clamatorio* M^{1}ENP : *damnatorio* GH : *declamatorio* M^{2}bdms Pal.

Eiusdem generis sunt haec: ad Qu. fr. III: 5^1 *Nam iam duobus factis libris, in quibus . . ., ii libri cum . . .*] *facilis* M^{1}GHOC : *facill'* E : *factis* P (quod emendationis speciem prae se fert; praeterea *facilis* illud nihil est nisi prava interpretatio eius quod est *factis* : *facl'is*) : *feci* M^{2}bdmsN Pal.; ubi consensus codicum O et P *facilis* etiam in Φ fuisse persuadet (v. p. 7). — ad Brut. I: 5^1 . . . *ut tuum esset iudicium, quid maxime conducere rei publice* (hoc ordine Ω) *tibi videretur* vulg. : *sibi* M^{1}M^{3}GHNO Pal. : *tibi* M^{2}bdms EP. ad Qu. fr. I: 3^2 *dolor* M^{1}M^{3}GHNO^1 Pal. : *dolorum* M^{2}bdmsE PO^2. ad Att. VI: 1^4 . . ., *ut, quot vellet praefecturas, sumeret, dum ne negotiatori. Itaque duas ei praeterea dederam*] *praeterea* M^1 NC : *praefecturas* M^{2}bdmsE et fort. Parisini P archet., nam P nunc habet : . . . *vellet praefecturas dederam* . . . omissis intermediis vocabulis (GH desunt). — Atque hac demum ratione recte iudicari potest de notabili illa atque admirabili consensione Medicei (M^1) cum P, ubi EGH Pal. desunt, quam p. 62 perstrinximus, ut ad Att. IV: 9^1 . . . *num censum impediant tribuni diebus vitiandis*] *vitiandis* M^{1}PZ : *initiandis* M^{2}al'bdmsN. 5^3 *sittybis* (*sillybis*)] *sit tybis* M^{1}m : *sic tibi* P : *si scribis* M^{2}al. bdsN. III: 20^1 *Pomponiano* M^{1}M^{4}P : *Pomponio* M^{2}bdmsN Pal. — Agmen denique exemplorum claudat VIII: 1^2. Cicero amico narrat, Pompeio se his verbis hortanti, ut Luceriam veniret: *Tu censeo Luceriam venias. Nusquam eris tutius* (etsi ipsa verba Pompei suo more paululum mutavit, cfr Lehmannus Quaest. Tull. p. 105 sq., qui sic scripserat VIII: 11 A: *Censeo, ad nos Luceriam venias. Nam te hic tutissime puto fore*) respondisse : *Ei statim rescripsi . . ., non quaerere, ubi tutissimo essem.* Formam *tutissimo* in C solo servatam veram esse testis

-st Charisius p. 192^{23} et 217^{13} K., quam terminationem *tupissimo* Σ[1] et *tu pessimo* M^1 ceteroquin leviter depravata tamen religiose ervarunt: vulgatam *tutissime* non modo M^2bdms receperunt verum tiam EP (cfr Brut. I: 5^1. ad Qu. fr. I: 3^2 p. 78). Utram Σ ipse abuerit, cum GHN Pal. desint, diiudicari non potest.

Haec fere habui, quae de consensu $M^1\Sigma$ dicerem, quae varie-ates, cum vetustatis speciem prae se ferant, dignissimae sane sunt, uae attento examine deliberentur.

De annotationibus M^2al'. et M^3, quas Coluccius et Nicolaus x codicibus alterius familiae deprompserunt, disputavimus pp. 43 qq. et 51 sqq.

Sequitur, ut quaeramus, num ex Δ lectiones in codices clas-is Σ migraverint. Primum igitur constat, librariis, qui O^1 correxe-unt vel potius emendando depravarunt (Lehm. Att. p. 32 sqq.), opiam fuisse alterius prosapiae libros adeundi, ut ad Qu. fr. II: 1^1 *raetorii* Σ : *praetor* Δ : *pretorii* O. — ibid. *sero* ΔO^2 : om. Σ. III: [1] *mescidium* O^1 (ut vid.) Σ : *in excidium* ΔO^2. ad Att. I: 12^3 *se-rul(l)ae* M^1bdΣCZ : *servulae* msO^2 : *Servilie* M^4. ad Qu. fr. II: 1^3 *icendi* Δ (praeter s) ΣC : *dicendo* Mcorr.sO^2. I: 1^{44} *non solum* O^2 : om. rell.

Aliquanto difficilius est diiudicare, utrum Δ ceteris codicibus e suo impertierit, an casu factum sit, ut hic illic concinant. Velut ispiciamus haec: ad Att. IV: 3^1 *scire, quid hic agatur* ΔE : *agi-ur* NP Pal. (GH desunt; de permutatione litterarum *a* et *i* cfr pp. 8. 69). III: 10^2 *ne aut . . . aut ne me* Σ excepto E : *aut me* ΔE. — 16^8 *eandem* ENOP Pal. Rav. : om. ΔGH. 14^2 *ab se*] *abs te* ΔGH. V: 19^2 *ut ad me Quintus scribit*] *Q.* ENOP Pal. Rav. : om. ΔGH. – Quod Lehmannus Att. 162 suspicatus est, H non nullas lec-ones ex Δ vel ex M hausisse, mihi valde dubium videtur; varie-tes hic ascribam : ad Att. III: 15^3 *probati* M^3bdsΣ praeter H : *pur-ati* M^1mH (non G). 23^1 *in me amore* M^4(?)sH : *immemore* M^1 : *me more* bdmGNO^2 : *in me m(o)erore* P Pal. 7^3 *quamquam* M^2(?) sH : *quam* M^1 (ut vid.) bdΣ praeter H. Quem consensum hoc fere odo explicaverim. III: 15^2 *Ceteros quod purgas, debent mihi pro-ati esse, tibi si sunt* in Ω *probati* fuisse, ex consensu paene om-um librorum intellegitur; accedit concinens testimonium codicum Lamb., v. c. Quod M^1m et H (non G) *purgati* praebent, veri simile t, librarios, qui parentem codicum M^1m (v. p. 18), et eos, qui Land. descripserunt, cum superiora illa *Nam quod purgas eos, quos . . . Ceteros quod purgas* oculis animoque inhaererent, in eundem rorem casu incidisse, ut pro illo *probati* hoc *purgati* substitue-

rent (de codicibus diversi generis sed eisdem mendis infectis cfr p. 64). Nam quod Schmidtius 'Woch. f. kl. Phil.' IV: 1018 et 'Briefwechsel' p. 451 *probati* vili coniectura niti ('auf wohlfeiler Konjektur beruht') sibi persuasit, id nemini probaturum esse scio, qui codicum rationem sobrio iudicio perpenderit. Iam vero hoc neminem fugit, Ciceronem, ut erat elegantissimus scriptor, id ante omnia egisse, ut varietate distingueret orationem; cuius quidem rei ad ea, quae Lehmannus Att. p. 195 attulit exempla, hic pauca addam in transcursu annotata. Or. pro Sex. Rosc. XI: 32 *Patrem meum iugulastis, occisum in proscriptorum numerum rettulistis* (ubi *iugulatum* exspectares, cfr Landgrafius ad h. l.). XIII: 34 *Totam causam explicemus atque ante oculos expositam consideremus.* De Or. II: 41^{176} *nequaquam satis esse reperire, quid dicas, nisi id inventum tractare possis.* ad Brut. I: 15^{1} *Cave enim existimes, Brute* (*quamquam . . . non queo silentio praeterire*), *cave putes . . .* Or. pro Mil. 30^{81}. — Ep. XII: 25^{3} *Quod te mihi de Sempronio purgas, accipio excusationem.* ad Att. IX: 13^{5} . . . *video tibi non probari. Quae ne mihi quidem placebant.* III: 23^{4} ex. XIV: 20^{3}. — ad Qu. fr. I: 1^{28} *nos ea, quae consecuti sumus, iis studiis et artibus esse adeptos, quae . . .* ad Att. VIII: 13^{2} *illum, quo antea confidebant, metuunt, hunc amant, quem timebant.* XV: 1^{3}. ad Qu. fr. III: 8^{6}. — Att. XII: 14^{3} *maerore . . . maerore . . . dolor.* — ad Qu. fr. II: 2^{3}. ad Brut. I: 17^{1}.

Ceteris duobus locis, ad Att. III: 7^{3}. 23^{1}, casu factum esse potest, ut H, qui suo Marte tradita corrigere aut depravare solet (v. p. 10), cum M corr. congruat; cfr ea, quae de lectionibus sΣ diximus p. 73. Atque omnino, nisi me omnia fallunt, ex Δ aut M nullas varietates hausit Landianus H.

ad Att. IV: 4 a^{1} *bibliotheca* ΔN : om. Σ praeter N (de h. l. infra agam). I: 17^{1} *cum cuperem*] *concuperem* M^{1}bdmN. III: 13^{2} *quoniam iam*] *iam* om. ΔN. — ad Qu. fr. I: 4^{1} *fato* Σ excepto P : *facto* ΔP. ad Att. II: 16^{4} *consilii* M^{3}Σ praeter P : *consulis* ΔP. In quo numero multa fortuita esse nemo non videt, nulla fere, quae in constituenda memoria nos adiuvare possint. Atque omnino cavendum est, ne nobis tantum sumamus atque arrogemus, ut unaquaeque confusio quo modo orta sit, demonstrare conemur: etenim non pluris refert quam si imbrem in cribrum legas.

Extremum illud est, quod forsitan quispiam iam diu exspectet, ut quaeramus, num in ipso Ω, a quo utramque familiam originem deduxisse constat, duplices lectiones fuerint, a quibus repetendae esse videantur, quales paulo ante attulimus discrepantias.

)e quibus scite ac prudenter, ut solebat, egit Lehmannus Att. p. 73 sqq., quam difficilis res esset et incerta, diserte praefatus. Neque omnia, quae attulit, ad persuadendum apta sunt; velut ad Att. /I: 1^{23} ... *Caelium*, *in quibus* facillime fieri potuit, ut *in* post *m* et n Δ et in N excideret (cfr ad Brut. I: 15^{12} *cum in auctoritate tua um in*..., ubi prius *in* om. Md^{1}mEGH, habent bd^{2}sNP Pal.; sescenta alia). IV: 18^{2} *belle* in E solo scriptum sine dubitatione correctori assignaverim (*ferre* in Δ emendando depravatum est et sequenti illi *vellem* accommodatum, v. p. 70). III: 15^{8} ex discrepantibus notis numerorum nihil concludere licet. Sed satis de hoc, praesertim cum non dubium sit, quin vir eruditissimus, si ei contigisset, ut Mediceum eiusque correctiones totamque classem Δ penitus cognosceret, multa aliter interpretaturus fuerit. — Iam de nostro parvulam stipem conferamus: ad Qu. fr. II: 13^{3} *Trebatium quod ad se miserim, persalse et humaniter etiam gratias mihi agit* vulg., M corr. bdmsPO^{2} : *etiam mihi gratias* H : *etiam gratiam gratias mihi* M^{1}EGN : *gratiam etiam gratias mihi* O^{1} Pal.; in Ω fuisse
gratias
etiam gratiam suspicamur. — ad Brut. I: 8^{1} *tibique omnes fortes viri navare operam et studium volunt* M^{2}bdmsEP Pal.; Bait., Muell., Tyrr.-Purs.: *dare* M^{1}M^{3}GHN, Purs.; in archetypo videtur scriptum
dare
fuisse *navare* (cfr Ep. XV: 12^{2} *Atque utinam potuissem ... tibi operam meam studiumque navare*; ad Att. XV: 4 a *Bruto studium tuum navare*). — ad Qu. fr. I: 1^{3} sic legendum esse crediderim: ..., *si omnem tuam mentem, curam, cogitationem ad excellentem in omnibus rebus laudis cupiditatem incitaris, mihi crede, unus annus additus labori tuo multorum annorum laetitiam nobis, gloriam vero etiam posteris nostris afferet*] *gloriam* M^{1}?M^{3}bdGHN : *immo (ymo)* M^{2}msEOP Pal., vulg.; *immo* Mediceus nunc habet, sed Colucci manu scriptum in loco raso, ubi antea vix aliud esse potuit quam *gloriam* (*gl'iā*). Equidem hoc malim, non quo non potuerit Cicero eadem epistula fratrem hortari, ut sibi et posteris aut laetitiam (§ 3) aut gloriam (§ 44 *debes cogitare, non te tibi soli gloriam quaerere .. Sed ea est tibi communicanda mecum, prodenda liberis nostris*) acquireret, sed quia cum ipsius curis cogitationibusque, ad quas n scriptis suis iterum ac saepius revolvitur, melius consonare videtur, ut de Off. I: 33^{121} *Optima autem hereditas a patribus traditur liberis omnique patrimonio praestantior gloria virtutis rerumque gestarum*; ep. II: 16^{5}, de domo 58^{146}, al. Video etiam Bootium Obs. crit. p. 27 *gloriam* commendare. — ad Att. II: 18^{2} *Laterensis existimatur laute fecisse, quod ... destitit, ne iuraret*] *laute* CZ

M[3] (sed del.) bdΣ excepto N : *recte* M[1]msN, quae varietas forsitan in archetypo Ω fuerit : $\overset{\textit{recte}}{\textit{laute}}$. Utut res se habet, talia perquam rarc inveniuntur.

Hic interim subsistamus : pervenimus enim, quo voluimus, ut Italicorum codicum quae ratio esset, quoad posset, constitueremus. Iam viatorum more requiescentes tamquam ex edito stratam viam, qua profecti sumus, semitasque angustas paulisper respiciamus.

8. Codicibus Italicis Ω in memoria constituenda qua ratione utendum sit breviter comprehenditur.

Omnis recensio atque emendatio veterum scriptorum duabus maxime rebus continetur: necesse est enim primum exquirere, quid in libris manu scriptis traditum sit, quo certius fiat iudicium ac liquidius de archetypi memoria, tum, si qua corrupta aut dubia videntur, circumspectis rebus omnibus, quae momentum faciant, imprimis consuetudine sermonis ad consilium et deliberationem adhibita, constituere oportet, utrum ea, quae libri habent quaeque in archetypo fuisse consentaneum est, integra sint relinquenda an emendanda.

Nostra igitur maxime interest statuere, quid in archetypo Ω codicum Italicorum MbdmsEGHNP Pal. Rav. fuerit. Ad quam rem diiudicandam ut omnium librorum consensus plurimum valet, ita in unius cuiuslibet testimonio acquiescere non licet; ne Mediceum quidem solum tamquam arbitrum adhibendum esse et ante vidimus et nunc paucis complectar. M[1] enim iterum ac saepius peccasse constat, ubi viri docti verecundia celeberrimi illius codicis permoti, praesertim cum de ceterorum memoria deque correctionibus Medicei aut nihil aut pauca comperta haberent eaque admodum incerta, aut falsas lectiones defensitarunt aut in coniectando operam frustra consumpserunt. Nam quod Muellerus, doctus ille et intellegens existimator sermonis Tulliani, ad Qu. fr. I: 2[7] *Nam si te interioribus vicinis tuis, Ciliciensi et Syriaco, anteponis, valde magnum facis*, eam ob causam, quod M[1] *magnificis* praebet, *magni fis* aut *magnificus es* dubitans proposuit, nihil egit vir eruditissimus, quoniam M[1] ipse correxit, ut *magni facis* fieret (= ms, Rom.);

sed ne id quidem, quamquam multis probatum est, in archetypo Ω fuisse consensus M^2al. bdΣ evincit, quibus pristinam ac veram lectionem *magnum facis* acceptam referimus (v. p. 45). Alia eiusdem generis sunt haec: ad Brut. I: 15^1 *ut non ... gratia habenda videatur. Sed* M^2 rell.: *habenda sed sed* M^1 solus: *habenda sit. Sed* coni. Baiterus. — ad Qu. fr. II: 3^3 *respondit ei vehementer* M^2 rell.: *evidenter* M^1 solus: *ei fidenter* coni. Kayserus probante Bootio Obs. crit. p. 33. — Sed non modo coniectarunt sed Medicei scripturam manu prima exaratam sive falsam sive emendando depravatam in textum receperunt, velut ad Att. I: 5^7 *conquiescemus* (M^1) Tyrr.-Purs.^{3} pro eo quod est *conquiescimus* (M^1 corr., rell.), II: 4^4 *minus* M^1 Muell.: *nimis* M corr., rell.; ad Brut. I: 1^1 *naturas*: *Clodi*, 3^1 *virtutis. Utinam* nota interpungendi, quae in *et* abiit (*naturas et Clodi, virtutis et utinam* M^1), abusi novissimi editores Ciceroni obtruserunt haec: *naturas*: *sed Clodi, virtutis est. Utinam* (v. pp. 38. 48). Quid, quod I: 15^3 *ut Solonis dictum usurpem, qui et sapiens unus fuit ex septem et legum scriptor solus ex septem* editores tenacissime tenuerunt *sapientissimus* in M^1 proclivi errore exaratum pro eo, quod in archetypo fuisse: *sapiens unus*, consensus M^2 cum ceteris omnibus comprobat. Atque *sapiens unus*, quod Becherus scite defenderat (Progr. Harburg. 1876 p. 20) coll. Lael. 16^{59} *a Biante esse dictum crederet, qui sapiens habitus esset unus e septem*, sive propriam vim habet sive, id quod mihi videtur, notionem superlativi *sapientissimus* induit (v. Seyff.-Muell. ad Lael. 1^1 p. 9 sq., Hofm.-Sternk. ad Att. I: 19^8, Muell. ad Tusc. disp. I: 12^{27}), vel ipsa concinnitate commendatur; accedit librorum consensio, ut nullus relinquatur dubitationi locus.

Sed satis iam superque exemplorum est, cum praesertim nemini possit dubium esse, quin M^1 non referat veram archetypi Ω imaginem. Sed ne consensum quidem M^1m sufficere p. 33 sqq. vidimus; velut ad Att. III: 8^1 *prope esset plena ... et exitus difficiles haberet*] in communi archetypo duorum illorum codicum *prope est et plena* perperam scriptum fuit, III: 12^2 *puto ex se probari*] *puto esse probari* nullo sensu. I: 17^5 *integritas* M^1m nihil offensionis habet per se illud quidem, sed *ingenuitas* verum esse testimonio sunt consentientes M^3bdsΣ.

De M^1ms uberius egimus p. 21; nunc tamen liceat haec duo addere. ad Qu. fr. III: 1^{11} *Poema ad Caesarem, quod institueram, incidi* ut recipiamus, et testimonium librorum M^3bdΣ suadet et usus Ciceronis, qui sic solet verbo *instituere* uti, velut de hoc ipso poemate scripsit ad Quintum ep. 8^3 *quod me institutum ad*

illum poema iubes perficere, etsi distentus sum . . ., tamen, quoniam . . . cognovit Caesar, me aliquid esse exorsum, revertar ad institutum idque perficiam; atque sic verba, quae sunt *instituere* et *absolvere* (*perficere*), persaepe inter se opponuntur, ut de Leg. I: 3[9] *neque tam facile interrupta contexo quam absolvo instituta;* de Fin. IV: 13[34]. Sed editoribus religioni fuit, quod M[1] *quod composueram* habet (= ms), quod Purserus in ed. min. describendum curavit — nam Tyrr. Purs.[2] *institueram* maluerunt —; Muellerus quidem in re dubia crucem ascripsit, Wesenbergius denique *componere institueram* coniecit. Equidem non dubito, quin *institueram* in Ω fuerit; *composueram* unde ortum sit, non liquet, nisi suspicor, hunc locum ad eum numerum ascribendum esse, ubi librarii pro genuina voce aliam substituerunt non eadem vi praeditam illam quidem, sed quae ad antecedens aliquod vocabulum apte quadraret, velut ad Att. I: 14[3] *quae tam libenti senatu laudarentur*] in G scriptum est *lubenti ~~animo~~ senatu;* atque sic socordia librariorum non numquam illata sunt vocabula a sermone prorsus aliena, ut ad Att. III: 15[5] *Nec quicquam aliud opus est* [quam] *abrogari,* XIII: 1[1], ep. IX: 16[6] *non* [modo] *iam ad invidiam sed ad fortunam.* Itaque mihi videtur librarius aliquis ad *poema* illud *composueram* sua sponte aptasse, quod per se optime quadrare nemo non videt — Latine enim dicitur *versus, carmina,* sim. *componere* —, etsi huic loco minus aptum est, ubi notio incipiendi praevalet.

ad Att. III: 10[1] *sin ista evanuerint, aliud aliquid videbimus* M corr. bdΣ (praet. Pal.) eo positu verborum, quo semper usus est Cicero: III: 16 *Cyzicum aut aliud aliquid sequemur.* de Or. II: 9[36] *alia aliqua arte.* de Fin. II: 33[109] *aliud aliquod . . . summum bonum.* pro Sest. 24[53] *non alio aliquo sed eo ipso crimine.* de Inv. I: 11[15]. II: 19[58]. 25[74]. 33[102]. Terentius primus hac compositione usus est Phorm. 770 *dum aliud aliquid flagiti conficiat;*[1] nam Plautus Trin. 1184 *si quam aliam* Mil. 185 *nisi quid aliud* scripsit (cfr Prehnius, De pron. indef. p. 24 sqq.), quod apud alios quoque in usu est. Quod M[1]ms et editores habent: *aliquid aliud,* a consuetudine Ciceronis, quod sciam, alienum est. — Talia igitur, etsi per se non magni momenti sunt, tamen ad codicum rationem explicandam aliquantum valent.

Atque his locis, quos exempli causa ex magno numero protuli, primae manui nimium tribuerunt editores: aliis in contrariam

---

[1] Ubi vocabula, qualia sunt *artes artifices, forte fortuna, vi violentia,* componuntur, vox primaria ante derivatam collocari solet, cfr Woelfflinus, 'Über die allitterierenden Verbindungen der lat. Sprache' p. 8 sq. 18 sq.

partem peccarunt correctorum libidini morigerantes. Velut Sternkopfius Philol. LXI (1902) p. 42 sqq. egregie demonstravit, ad Att. III: 4 legendum esse: *quod correctum esse audieramus erat eius modi, ut mihi ultra quadringenta milia liceret esse, illo pervenire non liceret. Statim iter Brundisium versus contuli* ... Fuerunt olim, qui *liceret esse. Illo cum pervenire non liceret, statim* eqs. verum esse sibi persuasissent (ut Bait., Wesenb.), ea nimirum causa permoti, quod in M *cum* a correctore quodam additum esset; quin etiam Tyrr.-Purs. in ed. tertia sic describendum curarunt, etsi eos post poenituit (v. Add. ad h. l. p. 433). Quantum valeat correctio, ex librorum testimoniis apparet: *illo cum* M corr. msO² : *illuc* (*-oc*, *-ec*) M¹bdΣ. — ad Qu. fr. II: 6² idem vir eruditissimus felici emendatione in pristinam elegantiam restituit: ⟨*ab*⟩*eram aute*⟨*m*⟩, *quod Idibus et postridie fuerat dictum, de agro Campano actum iri, ut est actum*: *in hac causa mihi aqua haeret;* v. Hermae t. XXXIX (1904) p. 416 sq. Quod omnes editores vulgarunt: *Quod Idibus* ... *fuerat dictum* ... *actum iri, non est actum*, id fragili sane columine codicum M²ms¹ nititur; ceteri omnes *ut est actum* praebent, sed in Mediceo pro *ut* a manu prima scripto et a Coluccio eraso, ut vestigia tamen maneant, substitutum est *nō*, quo inducto M³ *ut* ascripsit. — Eodem iure ad Brut. I: 4 a³ *Quare tum et felicitatem et providentiam laudabo tuam, cum* ... restituendum esse censeo, ubi nunc *facilitatem* vulgatur (M²ms): *felicitatem* M¹M³bdΣ. His igitur locis M² non plus valet quam ms, quos ceterorum consensum aequare non posse apparet. Atque correctionum M²al. eadem ratio est (v. p. 45), velut ad Qu. fr. I: 3⁵ *ages scilicet, si quid agere posse de nobis putabis* legendum est cum ΔGHN Pal., ubi nunc cum M²al. EP *agi* vulgatur. Codices vero bd vel m vel s per se solos non sufficere, vix est, quod moneam.

De correctionibus Nicolai M³, quas ex codice quodam Pistoriensi parenti librorum GH simillimo deprompsisse videtur, egimus p. 51 sqq.; quae si Σ referunt, magni aestimandae sunt, si GH tantum vel summum bd(s)GH reddunt, melius negleguntur. Velut ad Att. I: 13² *nihil agens cum republica* consensus M¹ms cum ENP Pal. persuadet in Ω fuisse: *nihil agens in re publica* bdGH; sed *in* a Nicolao in M ascriptum, quod quibusdam religioni fuit, nihil esse nisi emendationem insolitae illius locutionis, in qua quis facile haereret, luce clarius est. Atque in magna illa lacuna ad Att. I: 18¹—19¹¹, ubi Mm desunt, consultius erit consensum librorum ENP Pal. sequi; video enim editores eis codicibus nimium confidere, qui ad prosapiam bd(s)GH pertinere viden-

tur. V. infra ad Att. I: 18[2] *introitus fuit fabulae Clodianae*, § : *instat hic nunc annus egregius.*

Correctiones Leonardi M[4] magna cautione adhibendas ess p. 55 sq. monuimus; nam etsi nonnullos locos optime sanavit, ut ac Att. VII: 1[7] *Quam qui non decrevit, ⟨plus decrevit⟩, quam si omnes decresset triumphos*, tamen iterum ac saepius libidini emendand indulsit, ubi nulla medela opus erat. Cui ascribenda videtur correctio vel potius depravatio haec: ad Att. III: 25 *Post tuum a m discessum litterae mihi Roma allatae sunt*, ubi hoc *a me* au eiecerunt multi viri docti aut audacius mutarunt; atque in Medice primum deletae sunt voculae illae, deinde rursus ascriptae, tun (ab M[4]?) iterum deletae. Si igitur M solum haberemus, anceps esset iudicium; nunc vero accedit gravissimum testimonium omnium librorum bdmsΣ, quo evincitur, *a me* in Ω fuisse, quod quo modo interpretandum sit, post alios nuper ostendit Sternkopfius Philol. LXVI (1907) p. 315 sqq. — Atque de universa ratione correctionum sic censeo, quanti aestimandae sint, nisi ex consensu ceterorum codicum recte iudicari non posse. M[1] vero quantum ceteris libris bdms eiusdem familiae praestet, vel ea res indicio est, quod haud raro cum Σ contra M[2]bdms consentit, de qua re p. 74 sqq. egimus, quo loco ex consensione M[1]Σ, quid in Ω fuerit, concludere posse visi sumus; ita efficitur, ut lectiones M[1]Σ licet non omnes probari possint — in ipso Ω enim multa mendose scripta fuisse constat —, tamen diligentissime perpendendae sint

Sequitur, ut de Σ pauca dicamus: cuius familiae singul codices non magis sufficiunt ad verum recuperandum, quam si quis m vel s vel bd vel denique M solum archetypum Δ aut ipsum Ω referre postulet. Velut ad Att. V: 1[1] *Ego vero et tuum in discess vidi animum et meo sum ipse testis* editoribus quibusdam dubitationem attulit, quod Rav. pro *meo* pervulgatissimo errore *in e* scripsit, quo abusi Tyrr.-Purs. sic mutarunt: *mei in eo.* Sed iam in Φ *in eo* fuisse ex consensione codicum Rav. Pal. P efficitur; veram lectionem servarunt ΔEGN — nam H suo Marte, ut solet, tradita in peius mutavit: *in meo* —, ut de archetyporum Σ et Ω memoria nihil dubitationis relinquatur. Atque nihil est, cur in dativo *me* haereamus — fuerunt enim, qui *mei* vel *de meo* conicerent in scirp nodum quaerentes —, quem non solum apud priscos scriptore quasi genitivi vice fungi constat, ut Plaut. Mil. 1431 Pyrg. *Quis era igitur?* Ser. *Philocomasio amator.* Ter. Ad. 568 *sentit, te esse hui rei caput* (cfr Brix.-Niem. ad Mil. 271, Lor. ad Most. 1154, Haul ad Phorm. 872), sed etiam apud Ciceronem, qui de una atqu

eadem re sermonis variandi causa ad Att. VI: 1^{6} *fuerat* (scil. Scaptius) *enim praefectus Appio* et paulo infra 2^{8} *erat enim praefectus Appi Scaptius* scripsit; Div. in Caec. § 65 *Accusavi eum, cui quaestor fueram*, sed paulo infra: *eum, cuius quaestor fueris, accusare.* Similia sunt haec: ad Qu. fr. I: 2^{10} *cui L. Flavius heres est.* II: 2^{1} *Tusculano emptor nemo fuit.* ad Att. VII: 9^{3} *neque ei* (malo) *remedium est ullum.* VIII: 7^{1} *cui tu me comitem putas debere esse.* de Leg. III: 15^{34} *itaque isti rationi neque lator quisquam est inventus nec auctor umquam bonus.* Cfr Landgrafius in Arch. Woelfflini VIII: 62 sqq. Schmalzius Synt.^{4} p. 374.

ad Brut. I: 2 a^{1} *Quod scribis, me maximo otio egisse, ut insectarer Antonios*, in Ω fuisse ex ΔGNP Pal. consentientibus indicatur; in E, quem omnium superstitum librorum vetustissimum esse constat, pro *egisse* scriptum est *fecisse*, in H *gessisse*, quod utrumque coniecturae vel emendationis notam impressam habet. Itaque ad Att. VII: 1^{1} *Ubi illae sunt densae dexterae?* cum et in Δ et in HNP *densae* traditum sit, idem in archetypo fuisse iudicamus, *tensae* Ambrosiani coniecturae instar habendum: ex quo efficitur, ut Orelli correctioni *tensae* Baitero, Wesenbergio, Bootio probatae fidem addere non possit, quod multis saeculis ante librario alicui idem in mentem inciderat. Atque tota illa enuntiatio ex poeta quodam antiquo desumpta esse videtur; *densae* autem vel allitteratione commendatur. V. Tyrr.-Purs. ad h. l. — ad Qu. fr. I: 4^{4} Marcus fratri scribit: *Nunc tu, quoniam in tantum luctum laborem detrusus es, quantum nemo umquam, si* ... In Faërni codice deperdito F *luctum et laborem* scriptum erat (Orell., Bait.); ed. Rom., Wes., Muell., Purs., Tyrr.-Purs.: *luctum laboremque* (bsOP Pal.). Sed in Ω *luctum laborem* fuisse apparet ex MdmEGHN conspirantibus. Quid ergo? Scilicet proficiscendum est ab asyndeto bimembri, in quo quis et olim et nunc facile haerere potuit — velut in editione Iensoniana talia diligentissime sublata sunt[1] —: quod si ferri potest, ferendum est, sin minus, emendandum. Atque veri simillimum est, in prisca lingua Latina bina synonyma, si allitterationis vinculo continebantur, fere semper dissolute composita fuisse[2], cuius usus vestigia apud posteriores quoque haud pauca relicta sunt in

---

[1] Nonnulla exempla collegit Lehmannus, 'Woch. f. klass. Phil.' III (1886) p. 936.

[2] Woelfflinus, 'Über die allitt. Verbind. der lat. Sprache' p. 15: 'Nach diesen Ausführungen wird es nicht mehr zu kühn sein anzunehmen, allitterierende Synonyma seien im ältesten Latein *nur ohne Conjunktion* an einander gereiht gewesen'.

locutionibus, quales sunt *forte fortuna*, *fidi fiduciae causa*, *oro obsecro*, sim.[1] Quae cum ita sint, cumque Cicero a bimembri dissoluto, licet in deliciis non sit,[2] non abstineat (velut cfr ad Att. VII: 20[1] *inanes*, *imparati*. XVI: 13 b[2] *omnia certa*, *clara*. VI: 3[7] *arrogans*, ἀκοινονόητον *aliquid*. XI: 25[3] *cogi*, *confici*. de Leg. II: 8[20] *ad eam rem*, *rationem*. 9[21] *prodigia, portenta;* v. Hofm.-Sternk. ad ep. ad Att. I: 16[1]), nihil est, cur a traditis discedamus.

'At vide', inquit, 'ne te ipse irretias tibique parum consistas: nam ad Att. II: 1[5] *quod nihilo magis ei liciturum esset plebeio rem publicam perdere*, *quam similibus eius . . . esset licitum* et aliis permultis locis non potes infitias ire, M[4]s veram ac primitivam scripturam servasse, ceteros peccasse' (*plebeiorum* M[1]bdmΣ pro eo quod est *plebeio rem*, v. p. 56). Nego vero audacter: nam in Ω *plebeiorum* mendose scriptum fuisse ceterorum consensus documento est; *plebeio rem* igitur et verum est et tamen coniecturae loco habendum. — Nec secus res se habet ad Qu. fr. II: 3[5], ubi in Ω *Sestius ambitu est postulatus* fuisse ex testimonio consentientium ΔGHN intellegitur: *ambitus* Pal.: *de ambitu* P, quod utrumque coniecturae instar habendum est.

Sed de singulis codicibus hactenus: nunc ad familias Δ et Σ venimus, quorum hanc, quam proxime nominavi, si rem universam spectes, archetypi Ω multo veriorem imaginem reddere quam Δ nemo negabit, qui exempla p. 63 sqq. allata perlustraverit. Itaque librorum Σ auctoritate innisi aliquot locos emendavimus, velut Att. I: 13[2] *nihil metuas mali*] *nihil speres mali* Δ ex priore versu ascitum, IV: 3[3] *de cuius constantia vitae tuae verissimae litterae*] *virtute* pro *vitae tuae* Δ, ubi veras lectiones non satis confirmatas testimoniis antea compertis (ed. Iens., cod. Ant.) spreverant editores, etsi fuerunt, quibus res dubia videretur. Atque huic rei non solum indicio sunt sescenta illa in Δ mendose transscripta, quorum errorum causa manifesta est, sed magis etiam ea, quae, cum aliquo modo ferri possint, ne nostrae quidem aetatis editoribus stomachum moverint. Velut ad Qu. fr. II: 12[2] *Tua mandata persequar diligenter et adiungendis hominibus et quibusdam non alienandis*; *maxime vero mihi curae erit*, *ut Ciceronem tuum nostrumque videam* in Σ verba recte collocata esse apparet: in positu tamen codicum Δ *maxime mihi vero curae erit* nemo offendit. ad Att. VI: 1[13] *Valde se honeste gerunt*] *se* tamquam insiti-

---

[1] Cfr S. Preussius, De bimembris dissoluti apud scriptores Romanos usu sollemni, Edenkobeni MDCCCLXXXI.

[2] Nordenus, De Minucii Felicis aetate et genere dicendi, p. 33.

cium scribunt edd., deest enim in M (et Δ); servavit Σ suo loco — de positu pronominum encliticorum cfr Wackernagelius, 'Indog. Forsch.' I: 406 sqq. —, edd. post *honeste* inseruerunt. — ad Qu. fr. II: 1[1] sic scribendum et interpungendum esse Holzapfelius (Philol. XLVI: 648) et Sternkopfius (Hermae t. XXXIX: 386) gravissimis argumentis demonstrarunt: *Consulares nos fuimus et duo consules designati, P. Servilius, M. Lucullus, Lepidus, Volcacius, Glabrio*; *praetorii sane frequentes*; *fuimus omnino ad CC.* Ubi editores omnes ad unum *praetores* probarunt et sententias sic distinxerunt: ... *Glabrio*, *praetores*. *Sane frequentes fuimus*, *omnino ad CC*, quod nullo pacto ferri potest. Atque non modo in M sed etiam in bdms, i. e. Δ, *praetor* scriptum est, ex quo *praetores* olim effecerunt; in Σ vero genuina atque antiqua scriptura *praetorii* servata documento est, viros illos praeclare atque egregie emendasse.

Atque haec de familiis codicum dicta sunto. Nonnumquam tamen fit, ut classes et prosapiae discerni nequeant, velut cum librarii socordia lapsi casu ac fortuito in eundem errorem inciderunt, ut ad Att. III: 8[1] *neque de illius itinere quicquam certi habebamus*] *itinere* bmsEHP Pal.: *itineris* MdGN; cfr p. 72 sq. Ubicumque igitur talia diiudicanda erunt, solum iudicium valebit; quod et ex aliis multis locis intellegitur et ex hoc, qui exemplorum agmen claudat. ad Att. III: 8[4] *Me et meorum malorum maeror et metus de fratre in scribendo impedit*; ubi *memoria* (M^4E) pro eo quod est *maeror* (bdsP: *memor* M^1mGN Pal. Rav.: *memor* with *a* above H) omnibus editoribus probatum reiciendum esse statim intelleget, si quis et hanc ipsam epistulam et alias, quibus Cicero in exsilium proficiscens animi sui cruciatus effert, accuratius perlegerit; nam praesentium se malorum maerore, praeteritae vero aetatis memoria angi ipse iterum et saepius confitetur, velut paulo infra 10[2] *Possum oblivisci*, *qui fuerim*, *non sentire*, *qui sim*, *quo caream honore*, *qua gloria ...?* 15[2] *nam ceteri dolores mitigantur vetustate*, *hic non potest non et sensu praesentis miseriae et recordatione praeteritae vitae cottidie augeri*; 7[3], 10[3]; ep. XIV: 4[3, 5]. Atque error unde natus sit, nemo non videt: scilicet permutatae sunt inter se et confusae lineola nasalis (*meōr* i. e. *memor*) et nota illa crispa, qua litteram caninam designare solebant (*meõr* i. e. *meror*), ex qua confusione discrepantias ortas esse deprenhendimus, quales sunt hae: ad Att. III: 7[1] *nam* Σ: *natura* (*nã*) Δ, ad Qu. fr. II: 1[1] *omnino*] *oratio* ms (= *oĩo*); etiam *non* et *vero* (*uõ*) saepe commutari constat. Laudandi sunt igitur librarii, qui *memor* emendando non depravarunt; *memoria*, quod aut ex communi aliquo fonte hauserunt M^4E aut sua

sponte excogitarunt, nihil esse nisi coniecturam eandemque pravam ac reiectaneam, perspicuum est.

Haec fere habui, de Italicis codicibus quae dicerem : quorum archetypum Ω quale fuerit, ex consensu omnium vel plurimorum librorum facile iudicari potest. Qui si inter se discrepant, Σ plus valere quam Δ vidimus, bd(s)Σ quam Mm(s), consensionem M^1 m(s)ENP Pal. pluris aestimandam esse quam bd(s)GH, ex M^1Σ denique conspirantibus, quid in Ω fuerit, probabiliter concludi; correctiones vero Medicei non per se aestimandas esse, sed prout ceterorum codicum testimoniis comprobantur. Haec est igitur librorum ratio: quibus omnino sic erit utendum, ut lectionibus, quae vetustatis speciem prae se ferant, palma ac principatus deferatur.

Cap. II. De codicibus Germanicis et Gallicis (transalpinis) Y.

Iam ex Italia, ubi satis diu commorati sumus, movendum est et trans Alpes proficiscendum ad alia subsidia paranda. Constat enim, in Gallia et Germania olim codices fuisse nunc deperditos, qui quales fuerint, si ex reliquiis unius libri admodum exiguis discesseris, ex testimoniis annotationibusque doctorum virorum iudicare aut suspicari saltem licet. Sunt autem hi:

W = codex Wurceburgensis saec. XI scriptus, cuius pauca exstant folia, quae haec continent: ad Att. VI: 1^{17}—2^{2}, 3^{4}—4^{1}; X: 11^{1}—15^{4}; XI: 4^{1}—6^{2}, 20^{2}—23^{3}; 7^{4}—12^{1}; accedunt quattuor frustula quinorum versuum ex libro XV.

Z = codex Tornesianus, quem ex annotationibus Turnebi (Z^{t}), Lambini (Z^{l}), Bosi (Z^{b}) cognovimus. Is codex nihil nisi epistulas ad Atticum continuisse videtur.

Cc = lectiones, quas Cratander in margine editionis, quae anno 1528 Basileae prodiit, ascripsit (C) aut in textum recepit (c).

Quos codices, si rem universam spectamus, cognatione quadam inter se cohaerere (Y) et a familia Italica (Ω) seiungendos esse satis demonstratur lectionibus, quales sunt hae: ad Att. II: 25^{1} *mallem ad illum scripsisses, mihi illum satis facere, non quo faceret, sed ut faceret*] *non quo faceret* CZ^{l} : om. Ω. V: 17^{5} *Si quicquam me amas, hunc locum muni*] *muni* CZ^{b} : *ama* Ω. VI: 1^{1} *Terminalia* CZ^{l} : *ter milia* Ω. VII: 7^{5} *facturus* $CZ^{l}Z^{b}$: *sensurus* Ω. X: 11^{3} *Sed ea tempora sunt, ut omnia mihi sint patienda*] *tempora sunt ut* $Z^{b}Wc$: om. Ω. XI: 23^{3} *malorum* $Z^{l}W$: *maiorum* Ω. XIII: 45^{3} *nec diligentiorem nec officiosiorem nec me hercule nostri studiosiorem*] *nec . . . studiosiorem* $Z^{b}c$ (sed *mehercule* om. Z^{b}) : om. Ω. 46^{3} *ex eo cognovi cretionem Cluvi* (*o Vestorium*

neglegentem!) *liberam cretionem testibus praesentibus* Z^bc: *Cluvi* ... *cretionem* om. Ω, al., quas collegerunt Lehmannus Att. p. 122 sqq., Tyrr.-Purs.[3] I p. 114. De stemmate v. supra p. 24. — Haec praefatus ad singulas res perscrutandas transeo.

1. De lectionibus Cratandri (C, c).

Iam magnam rem atque arduam aggredi nobis in animo est, ut controversias, quae iam diu sunt inter eos, qui ad epistulas Ciceronis enarrandas operam studiumque contulerunt, si fieri poterit, disceptemus. Qua quidem in re nihil aptius videtur quam ab ipsius Cratandri verbis initium capere, quibus de ratione sua recensendi nos certiores facit. Haec enim praefatur (cfr Lehm. Att. p. 52 sq.) p. 4: 'Imprimis usus sum codicibus haud mediocriter vetustis: quorum alii ... conquisiti: alii vero amicorum beneficio ... exhibiti sunt: inter quos non paucos, neque poenitendos nobis communicavit Io. Sichardus ... Unde factum est, ut coeptum negocium principio difficillimum, paulo minori negocio confecerim ...: multas enim inde mendas sustulimus, quae priores editiones occuparant: atque id ante omnia in epistolis ad Atticum. Attamen sicubi forte propter mendarum diversitatem eliciendae sententiae difficultas suboriebatur, reliquimus tum ibi eos locos, praefixis litterarum formis, signi vice, lectori acutioris iudicii excutiendos, et coniectura colligendos'. Cfr etiam annot. ad ep. ad Att. VIII: 16[2] '*donum*, aut certe *domum*, utrumque enim habent anti. cod.'

De ipsa editione Cratandrina inter viros eruditos haec fere constare video, totum textum ex ed. Ascensiana secunda A^2 (1522), quae ab Ascensiana prima A^1 (1511) originem duxit, pendere, Ascensianae primae editiones Romanam (Rom.) et Iensonianam (Iens.), quae anno 1470 prodierunt, quasi fundamenta fuisse. Lectiones autem Cratandri ad marginem ascriptae (C) aut in textu novatae (c) unde venerint quantive sint aestimandae, imprimis qua ratione Cratander codices Laurisheimenses saec. X, ut videtur, scriptos adhibuerit, quos inspiciendi a. 1527 copiam datam esse constat,[1] valde disceptatur. Velut Hofmannus textum Cratandri

[1] Gurlittus, 'Berl. phil. Woch.' XV (1895) p. 1534. 'Jahrb. f. class. Phil.' Suppl. XXII: p. 509 sqq.

parvi facit, annotationes magnam partem ex vetusto fonte fluxisse censet.[1] Neque multo aliter primum iudicavit O. E. Schmidtius,[2] etsi postea sententiam paululum immutavit, ut in c quoque pauca vestigia ipsius codicis W perspexisse sibi videretur.[3] Lehmannus Att. p. 84 hoc modo brevi comprehendit, de C et c quid censeat: Cratandrum compluribus codicibus usum esse, ex quibus multas lectiones in margine apposuerit (C), nonnumquam tamen rem ita egisse, ut aut novam lectionem describendam curaret, veteri marginem tribueret, aut lectiones ex codicibus sumptas silentio in textum reciperet (c), ex consensione vero c cum $A^{1,2}$ non effici, in Cratandri codicibus ita fuisse, quod raro Cratander codices inspexisse videatur: lectiones denique novatas, ubicumque codicibus nostris aut testimoniis, quae de deperditis libris acceperimus, non confirmentur, sobrio iudicio perpendendas esse. — Gurlittus denique, qui universam rem uberius tractavit, sibi persuasit, in epistulis Brutinis Cratandrum A^2 secundum codices Laurisheimenses diligenter correxisse et C+c veram referre imaginem vetusti illius codicis editione Cratandrina quasi ab inferis excitati, quod idem in epistulas ad Qu. fr., ad Att., ep. misc. XI—XVI cadere suspicatur.[4] In eandem fere sententiam inclinant Tyrr.-Purs. I: p. 114.

[1] 'Der krit. Apparat zu Ciceros Briefen an Atticus' p. 33: 'Unter solchen Umständen bleibt uns nichts übrig, als Cratanders Text so gut als Preis zu geben... Von den Lesarten, die ihm eigentümlich angehören, stammen einige aus einer echten Überlieferung, weit mehrere sind Conjekturen, und das Kriterium dafür, ob eine Lesart dies oder jenes ist, liegt lediglich in der Beschaffenheit der Lesart selbst... (p. 34) Dies gilt für den Cratandrinischen Text; mit seinen Lesarten am Rande ist est eine andere Sache... (p. 39) Cratander hat also für einen Teil seiner Randnoten eine alte, uns unbekannte Quelle gehabt'.

[2] 'Briefwechsel' p. 441 sq.: 'Den Text der Cratanderschen Ausgabe (c) gebe ich nach wie vor mit Hofmann S. 33 preis, die Lesarten der alten deutschen Handschrift finde ich mit Hofmann S. 46 in den Randnoten der Ausgabe (C)... So kommt es, dass sich unter C zahlreiche Konjekturen und Interpolationen aus italischen Handschriften finden'.

[3] Philol. LV (1896) p. 704: 1) 'c stellt meistens den Text der Ascensiana her, schliesst also in sich den ganzen Wust von Conjekturen und Interpolationen, die in der ed. Rom. und Iens. aufgespeichert ist. 2)... nur in einigen wenigen Fällen tritt W in c zu Tage'; v. etiam p. 698.

[4] 'Handschriftliches und Textkritisches zu Ciceros epistulae ad M. Brutum' in Philol. LV (1896) p. 319: 'Lehmann glaubte zu erkennen, dass Cratander nebenbei auch Lesarten minderwertiger Hss. zum Abdruck gebracht und seine Laurisheimenses (Lss.) nur selten eingesehen habe, ich glaube gezeigt, wenigstens als wahrscheinlich erwiesen zu haben, dass neben den Laurisheimenses überhaupt keine andere Hss. in den epp. ad fam. XI—XVI, ad Att., ad Qu. fr., ad M. Brutum herangezogen, und dass A^2 nach den Lss. vollständig durchkorrigiert wurde... (p. 330) Jedes gewaltsame Eingreifen in die Überlieferung

In hac tanta dissensione eruditissimorum virorum forsitan arrogantis hominis atque audacis videatur esse partes arbitri, quid verum aut veri simile sit, diiudicantis suo iure vindicare; sed tenemur ipsa necessitate, ut fieri non possit, quin, quid nobis videatur, aperte ac palam confiteamur. Accedit, quod ipsa res digna videtur, quae tandem aliquando disceptetur. Sed ut in hominum vita non potest incorrupte atque integre iudicare, si quis praeiudicata opinione ad causam aggreditur, ita nobis neutri parti favere licet. Illud quoque cavendum est, ne nimis curiosi videamur: est enim in omnibus rebus nesciendi quaedam ars et scientia.

Hoc igitur pro certo habemus, editionem Cratandrinam nec pro fundamento recensionis esse habendam et subtili iudicio adhibendam; nam etsi Cratander ipse non coniecisse videtur et multas veras lectiones aut a superioribus editoribus hereditate acceptas aut novas recepit, tamen haud paucis mendis et coniecturis inquinatus est textus, quae ex deterioribus codicibus sive ipsius sive aliorum — nam id quidem nihil ad rem — fluxisse videntur. Annotationes vero in margine ascriptae omnino meliore nota sunt illae quidem, sed et iis admixta quaedam sunt, quae probari vix possint.

Ad quae demonstranda ab exemplis, quae ex epistulis Brutinis collegit Gurlittus Philol. LV (1896) p. 318 sqq., proficiscendum erit. Ac primum quidem ex locis, quales sunt hi: ad Brut. I: 1[1] *per suos potius iniquos* C : *inimicos* A[2]c. 4 a[3] *me reum subicies* C : *facies* A[2]c. 10[5] *in vestrorum castrorum principiis* C : *praesidiis* A[2]c. 15[9] *quae etiam posteris esset salutaris* C : *posset esse salutaris* A[2]c, ubi C non solum cum M conspirat sed cum

von C und c führt eben zu Irrtümern ... (p. 332) Cratanders Text ist also codicis instar und vielleicht mehr wert, als wenn uns eine Abschrift von Ls vorläge; denn die Gelehrten ... waren sachkundiger, als die meist gedankenlosen Abschreiber ... (p. 338) Meine Methode steht und fällt daher mit der Hypothese C+c =Ls. Ich bin aber überzeugt, sie wird der Kritik stand halten ... Ist aber meine Hypothese richtig, so wird das der Wissenschaft so viel gelten, als wäre der alte Ls selbst wieder ans Tageslicht befördert worden, und unsere Textkritik der Briefe ad Brutum tritt damit in ein neues Stadium ein ... Für die epp. ad Att. und ad Qu. fr. vermute ich dasselbe. Der Beweis wäre aber noch zu erbringen' ... (p. 328) 'Mein abschliessendes Urteil lautet daher: Cratanders Text der epp. ad Brutum ist das getreue Abbild des Ls. und deshalb für diese Briefe unsere beste Quelle, fast gleichwertig mit diesem vortrefflichen codex des X. oder XI. Jahrhunderts selbst'. — Eadem fere vir ille doctissimus contendit 'Berl. phil. Woch.' XV (1895) p. 1535. XXI (1901) p. 157; sed paulo post t. XXV (1905) p. 1119 cautius locutus est: 'annähernd das getreue Abbild dürfte richtiger sein'.

optimis pluribusque codicibus Italicis : *iniquos* MmsΣ excepto Pal.: *inimicos* bd Pal. — *subicies* MbdΣ : *facies* m^1s — *principiis* MdmΣ praeter P Pal.: *praesidiis* bsP Pal. — *esset* MbdΣ : *posset esse* ms; ex his igitur facillime iudicari potest, annotationes C editionibus A^2c quantum praestent. — Pauca addam de I: 2^3, quem locum Madvigius, Adv. crit. III 197 sq., sic restituit approbantibus Lehmanno (relat. soc. phil. Berol. XIV a. 1888 p. 287) et Pursero: *Quod scribis de seditione, quae facta est in legione quarta de⟨cima fraude⟩ C. Antoni — in bonam partem accipies —, magis mihi probatur militum severitas quam tua* (ubi *fraude* C. F. Hermanno debetur; ceterorum conamina coll. Muellerus ad l.). A consensu M^1ΣC *de Catoniis* ut proficiscamur, res ratioque suadet, pro quo M^2bdms *de Antoniis* substituerunt (neque enim M^1 correxit, quod Gurlittus l. l. p. 321 Schmidtium secum communicasse dicit, sed M^2): *de Antoniis quod dicam* ed. Iens., A^2c. Quod Gurlittus l. l. p. 322 Madvigi emendationem *quarta de⟨cima fraude⟩ C. Antoni* non uno nomine impugnans contendit, non *de C.* seiunctim scribendum esse sed *dec.*, quod Cicero, ubicumque C. Antoni mentionem faciat, praenomine omisso nomine eum appellare soleat, vereor, ne nimis haec vir eruditissimus ad certam legem astrinxerit: utrumque enim, et M. et C. Antonium, nomine tantum Cic. et Brut. designant, si nihil ambiguitatis est, ut II: 3^2 *Antonius adhuc est nobiscum*, i. e. C. Antonius; 5^1; I: 1^1. — I: 4 a^1 *agendum est, ne frustra oppressum esse Antonium gavisi simus*, ubi de Marco agitur; atque in hac ipsa epistula paulo supra *de Antoni fuga* mentionem fecit. Sed I: 3 a utriusque nomini praefixit praenomen: *Hostes autem omnes iudicati, qui M. Antoni sectam secuti sunt... Equidem nihil disserui durius, cum nominatim de C. Antonio decernerem.* Itaque nihil est, cur aut *C* exstirpemus aut cum *de* conflemus, ut *dec* fiat, praesertim cum paulo ante de altero Antonio mentio illata sit. Ne hoc quidem Gurlitto concesserim, *quod dicam* in editionibus Iens. A^2c dittographia vocularum *quart. dec.* ortum esse, cui rei vel ratio compendiorum refragatur: nam ut *quarta decima* verum esse inter nos convenit, ita *quod dicam* nihil aliud esse nisi foedam interpolationem, ne *accipies* obiecto careret, insertam, elucet.[1] Quod Gurlittus

---

[1] Gurlittus l. l. p. 322: ... 'das von allen Gelehrten bisher unbeachtete *quod dicam* der A^2. Diese Ausgabe geht vorwiegend zurück auf die Iensoniana (Venedig 1470), deren Lesarten volle Beachtung verdienen, da sie auf einer guten Hs. beruhen, welche vom M unabhängig war. Ich sehe in dem *quod dicam*, das sinnlos ist, daher nicht Konjektur sein kann, eine am Rande angefügte Dittographie des dem Schreiber unverständlichen *quart. dec.* Dieser las *dec̃* für *dic̃*

ex *atoniis* his gradibus *Antoni causa* recuperare videtur: *antoni i* > *antoni cs* > *Antoni causa*, quod Muellero et Schellio probavit, ho monitum velim, *causa* in libris manu scriptis non tali compendi scribi solere sed *ca* (unde non numquam factum est, ut voces *caus* et *eam* permutarentur), et genitivos nominum in *-ius* exeuntium quos Ciceronis quidem aetate in *-i* desiisse (ut *Antoni*, *Tulli*) ve inscriptiones documento sunt, in codicibus *-i* duplici (*-ii*) persaep terminari.[1] Ex *C. Antoni(i)* igitur — nam lineola nasalis sescentie omissa vel perperam addita nemini religioni esse debet — factur est *Catoniis* (*Antoniis*), cum quis ex praepositione *de* pendere cre deret. Denique interclusio haec : *in bonam partem accipies,* indici esse videtur, Ciceronem paulo ante duriusculo vocabulo, velut ho ipso *fraude,* usum esse, quo veritus ne oculos animumque Bru perstringeret, quasi veniam petit. Quae omnia cum mecum reput a me impetrare non possum, ut credam, *Antoni causa* tribus illi viris eruditissimis probatum verum esse; in Madvigi autem emen datione, cum ceterorum inventis praestet, sive rationem codicum spectes sive tenorem orationis, acquiescendum esse censeo.

Iam ad aliquot locos examinandos pergamus, ubi c ab A differt, quos Gurlittus Cratandrum existimat secundum Laurishe mensem suum correxisse (l. l. p. 323 sqq.); ex quibus cum ali tum haec mihi scrupulum iniciunt. I: 2[1] *Quinque autem cohortibu quidnam se facturum arbitratus est* (scil. Dolabella), *cum tu e quinque legiones, optimum equitatum, maxima auxilia haberes?* — *tu e* Ω (sed *tuo* P : *te tu eo* M[1]) : *tu* (om. *eo*) c, Cobetus, Mnemos. V (1879) p. 271, Gurlittus l. l. p. 326;[2] ceterorum conamina cor gessit Muell. ad l. Equidem hunc locum nondum certa medel

---

(dicam) und *qrt* für *quod*. De veris lectionibus editionis Iens. egit Lehmann Att. p. 11; interpolationes si enumerare velim, quales sunt hae: ad Brut. I: *in quo* valde *delector.* 3[2] *Sed haec te malo ab aliis* audire. 5[1] *si arbitrare utile* fore *et ex republica esse* (codd. *exque re p.*). 13[1] *nihil profecto dubitab pro iis suscipere,* quod ad salutem eorum pertineat. Qu. fr. II: 7[2] *per*multa *mi benigne respondit,* sim., dies deficiat. Nam in editione Iensoniana bonae lection (v. Lehmannus Att. p. 10 sqq.) malis adeo intermixtae sunt, ut summa caut adhibenda sit.

[1] 'Dazu kommt, dass die Endsilben *-oniis* ... eine schonendere Behandlun verdienen. Auch bildete Cicero den Genetiv der Eigennamen auf *-ius* nicht sondern *-i*, vgl. Neue, Formenlehre der lat. Gramm. I[2] S. 93. Es bleibt also *i* oder, wie ich wohl mit Bestimmtheit behaupten darf, *cs.* d. h. *causa.* Cice schrieb also: *de seditione, quae facta est in legione quarta decima Antoni cau — in bonam partem accipies* rq'. Gurlittus l. l. p. 322 sq.

[2] '... beseitigt c durch Weglassung von *eo* alle Bedenken und macht al bisherigen Conjekturen und Interpretationsversuche hinfällig'.

sanatum esse censeo; etsi fuit, cum de *eo* finali cogitarem collatis his: Catonis de agri cult. 22[3] *domi melius concinnatur* (scil. trapetus)...: *eo sumpti opus est HS LX.* 6[3] *et materies, si quo opus sit, parata erit.* Ter. Ad. 620 *ubi eam* (i. e. Cantharam) *vidi, ilico Accedo, rogito, Pamphila quid agat, iam partus adsiet, Eone obstetricem accersat* ('zu diesem Zwecke'). ad Att. I: 10[4] *omnes meas vindemiolas eo reservo, ut illud subsidium* (: bibliothecam) *senectuti parem.* V: 17[1] *Paucis diebus habebam certos homines, quibus darem litteras. Itaque eo me servavi.* Ep. VII: 23[2] *Martis vero signum quo mihi pacis auctori?* Hor. Sat. I: 1[73] *Nescis, quo valeat nummus, quem praebeat usum.* Itaque haud scio an defendi possit codicum memoria; illud vero constat, si quidem via ac ratione disputandum erit, vocem, quam cur interpolatam esse putemus nihil afferri potest, indicta causa non condemnandam esse. Itaque lectio Cratandrina emendationis suspicionem movet.

I: 2[4] *De Dolabella, ut scribis, si quid habes novi, facies me certiorem*] *habes* Ω (excepto F), Bait., Muell., Purs.: *habebis* Fc, Tyrr.-Purs. duce Gurlitto l. l. p. 325. Qui quod lectionem c commendari censet consensione, quae est cum codice Faërni, hoc non multum valet: in Ω enim fuisse *habes* ceteri codices comprobant; ex quo efficitur, ut lectioni unius codicis F, sive vera est sive falsa, nulla fides sit ultra coniecturae probabilitatem (v. pp. 4. 86 sq.). Atque utrumque verum esse potest: *habebis* idem fere valet atque *scies* (ad Att. VII: 12[1] *sed quaeso, ut scribas quam saepissime, non modo si quid scies aut audieris, sed etiam si quid suspicabere*), ut ad Att. XII: 27[3] *De Bruto tamen, si quid habebis.* Ep. XIV: 24 *Si quid erit certi, faciam te statim certiorem.* ad Att. II: 20[2]; *habes* vero non futuri vice fungitur, id quod Muellerus ad p. 87[33] demonstrare conatur, sed suam propriam vim habet, ut ad Att. IV: 10[1] *Si quid habes certius, velim scire.* V: 4[4] *rumores, vel etiam si qua certa habes de Caesare, exspecto.* Quae sit ratio futuri et praesentis, optime illustratur ad Att. V: 6[2] *Nec tamen iam habeo, quod aut mandem tibi aut narrem. Mandavi omnia... Narrabo, cum aliquid habĕbo novi.* Itaque in editione Cratandrina eiusdem generis emendationem agnosco atque ep. VII: 23[4] *quando te exspectem, facies me, si tibi videtur, certiorem,* ubi Cratander libris invitis *videbitur* typis describi iussit. In *habes* igitur nihil offensionis restat.

ad Brut. I: 2 a[2] *Opprimemini, mihi crede, Brute, nisi providetis.* De quo loco Gurlittus l. l. p. 333 haec habet: 'Poggio richtig in Med. 49: 24 *provideritis,* wie es auch Petrarca de remediis

utr. fort. II: 117 S. 234 erhalten hat. Aber auch A^2 und c, d. h auch Ls, hatten richtig *provideritis*'. — Quae possitne probare, s quis et codicum rationem et consuetudinem sermonis propius perspe xerit, valde dubito. Nam in Ω *providetis* fuisse ex consensione codicur Md^{1}mEGHP Pal. concludimus, quod quo gradu in *provideritis* bd^2 abire potuerit, vel codicis N lectio *provideris* indicio est, quoniar litterarum *r* et *t* parvum sane ac potius nullum discrimen es Momentum vero facit loquendi usus iam inde a primordiis lingua Latinae servatus; in sententiis enim, quales sunt hae: Plaut. Per 827 *Malum ego vobis dabo, ni abitis.* Ter. Heaut. 932 *Quod in commoditates hac re accipies, nisi caves!* Claud. Quadr. 41 P *Ti nisi caves, iacebis.* Cic. Luc. 29^{93} *Frangite igitur eos, si potesti ne molesti sint; erunt enim, nisi cavetis.* ad Att. VII: 9^4 *Depug nes oportet, nisi concedis.* Sall. Hist. II: 98^{10} ... *qui, nisi sul venitis, transgredientur.* Liv. XXV: 3^{19} *Nonne videtis ... rem a seditionem spectare, ni propere dimittitis plebis concilium?* Tac hist. III: 24 *Mox infensius praetorianis, 'vos', inquit, 'nisi vinciti pagani, quae castra alia excipient?'* — in eiusmodi igitur sententiis quibus quis quasi minaciter iubetur aliquid facere, praesens tem pus sollenne est.[1] Levi igitur bracchio ei egerunt, qui *providet* et codicum memoria et sermonis consuetudine commendatum reie cerunt.

Haec igitur, quae exempli causa protuli, documento sunt, non esse fundamentum rei criticae in epistulis Brutinis habendum quod magis etiam comprobatur lectionibus ex epistulis ad Qu. fi et ad Att. depromptis. Nam ad Qu. fr. II: 3^2 *cum omnia mal dicta, versus denique obscenissimi in Clodium et Clodiam dicerer tur* vocem *denique* in omnibus libris ΔΣ excepto uno E servatar et a Cratandro in margine ascriptam (C) veram esse nemo no videt; sed in textum *etiam* recepit (c = M^2 al. E, v. p. 44). I 7^2 *per mihi benigne respondit* C = Ω praeter sP : *perbenigne mih* c = sP (p. 73). III: 1^{11} *Poema ad Caesarem, quod instituéram, incid* C = M^{3}bdΣ : *composueram* c = M^{1}ms (v. p. 83). ad Att. I: 13^3 *Qu nunc leviter inter se dissident* C = M^{3}bdΣ (sed P *qui in uno*) : *qui immo* (*imo*, *ymo*) M^{1}ms : *Quinimo* c (p. 21). I: 17^5 *Mihi perspecta es et ingenuitas et magnitudo animi tui* C = M^{3}bdsΣ : *integritas* c = M^{1}m (v. p. 34). III: 15^2 ... *ut maxime doleam, plus apud m*

---

[1] Cfr Lindskogius, De enuntiatis apud Plaut. et Ter. condicionalibus p. sqq. Blasius in Arch. Woelfflini IX (1896) p. 611. Sjögrenius, 'Fut. im Altlat. p. 39 sqq. — Plane diversi generis sunt exempla a Tyrr.-Purs. in annotatione a h. l. ascripta.

simulationem aliorum quam istius (i. e. Catonis) *fidem valuisse* C = Σ : *malorum* c = Δ. IV: 17^4 *Ibi loquetur . . . libere nemo* CΣ : *liber* cΔ (v. p. 70). V: 21^4 *esse venturum* CΣ : *fore venturum* Δ (v. p. 67) : *forte venturum* c.

Atque his locis et aliis compluribus, quos non opus est enumerare, percommode accidit, quod C praesto est ad textum Cratandrinum emendandum, sed persaepe rem ita egit, ut in margine nihil annotaret, si in ea lectione, quam in textum recepisset, ut satis certa acquiescendum esse putaret; neque enim id egit, ut editionem criticam ad nostrae aetatis morem compositam curaret. Itaque ad Att. III: 8^4 *Me et meorum malorum maeror et metus de fratre in scribendo impedit*, de quo loco fusius disputavimus p. 39, non minus Cratandro quam nostrorum temporum editoribus *memoria* (c = M^4E) tam sincerum ac verum visum est, ut plane supervacaneum duceret varietatem, si qua in codicibus eius erat, id quod mihi quidem probabile videtur, ascribere; nec secus iudicandum est de ep. ad Att. III: 12^2 *et quia scripta mihi videtur neglegentius quam ceterae, puto ex se probari non esse meam*, ubi et in editione Cratandrina et a recentioribus editoribus immerito recepta est coniectura *posse probari* (v. p. 34). Tertium addo ad Qu. fr. II: 6^2 *quod . . . fuerat dictum, de agro Campano actum iri, ut est actum* codd. exceptis ms : *non est actum* M^2ms = c, vulg. (v. p. 85). Nam quod in margine nihil apposuit, inde videlicet non efficitur, ut aut codices suos raro inspexerit (Lehm. Att. p. 34), aut ut c imaginem referat vetusti illius codicis Laurisheimensis (Gurl. l. l. p. 328 sq.), sed idem fecisse apparet Cratandrum quod verbi gratia Muellerum, qui *memoria* et *posse* et *non* eis locis, quos modo exscripsi, typis describenda curavit, lectionum *memor* (i. e. *meror*), *ex se*, *ut*, quas ei notas fuisse constat, in annotationibus criticis ne mentionem quidem fecit. Atque sic facilem ac simplicem explicationem habent haec: ad Att. III: 4 *ut mihi ultra quadringenta milia liceret esse, illo pervenire non liceret. Statim iter Brundisium versus contuli*] . . . *liceret esse. Illo quom pervenire . . .* c (v. p. 85). 7^2 *reliqua tempora sunt non iam* (*tam*) *ad medicinam, sed ad finem doloris*] . . *non tam . . quam . .* c = M corr. sE, v. p. 83 sq. IV: 16^1 *Paccio et verbis et re ostendi quid . . .*] *Paccio Romae et verbis et re ostendi . . .* c (ubi *Romae* nihil aliud esse appareat nisi perperam factam interpretationem compendii verbi *ratione* = *rōe* in Δ interpolati, v. p. 69). — ad Qu. fr. III: 7^2 . . . *quod eum* (i. e. lychnuchum) *te aiebant, cum esses Sami, curasse faciendum* Vict., vulg. : *esses anligurasse* Σ : *esse san ligurasse* Mm :

esses sane ligurasse bd : *esses ligur esse* s : *esses sanae mentis cu-rasse* c (ubi permutatio litterarum *C* et *G* in codice quodam per-vetusto maiusculis litteris scripto facta esse videtur). II: 15^{5} *Hac de re* φιλαληθῶς *et, ut soles* *s c r i b e r e*, *fraterne* Ω : *scribe* c. ad Att. III: 26 *Mihi in animo est legum lationem exspectare, et, si obtrectabitur, utar auctoritate' senatus* Ω : . . . *exspectare. Si obtrecta-bitur* . . . c, sescenta alia, quae cum perverso emendandi studio in deterius mutata sint afferre supersedeo.

Atque haec de mendis coniecturisque dicta sunto, quarum aliquot, velut ad Qu. fr. II: 15^{5} et ad Att. III: 26, quas postremas posui, iam in ed. Iens. fuisse constat. Sed ne iniqui simus et cupidi in iudicando, virtutes quoque editionis Cratandrinae praedi-care oportet: neque enim margini solum sed etiam ipsi textui veras lectiones satis multas acceptas referimus, quarum editores non eam, quam par erat, rationem habuerunt. Quam rem ut pau-cis absolvam et exemplis, quae ante deliberavimus, illustrem, ad Qu. fr. I: 2^{7} *Nam si te interioribus vicinis tuis . . . anteponis, valde* *m a g n u m facis*, Cratander *magnum* testimonio codicum M^{2}bdΣ et consuetudine Tulliana satis confirmatum sed a novissimis editori-bus repudiatum (v. p. 45) servavit nulla varietate ascripta, ets veri simillimum est, etiam lectionem *magni facis* = M^{1}ms ei notam fuisse, v. p. 98. Persaepe lectiones librorum Σ iusto honore affe-cit, ut ad Qu. fr. II: 1^{1} *praetorii*, quod nuper restituerunt felicis-sima coniectura Holzapfelius et Sternkopfius (v. p. 89) pro eo quod nunc perperam vulgatur: *praetores;* ad Att. I: 13^{2} *nil m e t u a s mali* (p. 68), III: 15^{1} *obiurgas e t r o g a s* (v. p. 63), ubi varietates familiae Δ ei nihilo magis ignotae fuisse videntur quam ad Att. III: 15^{2}, IV: 17^{4} (v. p. 98 sq.), etsi non semper curavit diversas lec-tiones annotare; est quoque, ubi omnium codicum consensus nunc documento sit, ad textum Cratandrinum revertendum esse, ut ad Qu. fr. II: 15^{3} *Vatinium a d e r a m defensurus* c = Ω, ubi Lambino emendanti vel potius emendando depravanti, ut *Vatinium eram defensurus* fieret, editores nimis morigeros fuisse infra uberius demonstrabo. Simul et hoc apparet, Schmidtium non satis aequum iudicem fuisse (Philol. LV: 702 sq.), cui lectiones c vel eam ob causam in suspicione fuerunt, quod saepius atque iterum cum Σ congruant,[1] qua consensione nobis quidem c magis etiam com

[1] Verba ipsius afferam: 'Woher aber stammten die ausländischen (scil. co-dices Cratandri) neque vulgari peregrinatione conquisiti? Vermutlich aus Ita-lien . . . So erklärt es sich ungezwungen, dass c manchmal gegen A und auch gegen M mit den von Lehmann herangezogenen italienischen, contaminierten und interpolierten Handschriften EOPR u. a. übereinstimmt'.

mendatur, ut ad Att. IX: 11[4] *Nuntiant Aegyptum et Arabiam* εὐδαίμονα *et* Μεσοποταμίαν *cogitare* v. c., codd. Bosi, P: *et Mesopotamiam* c: *et* sequente spatio vacuo O: om. ΔR (Lehmannus Att. p. 71 sq.). XII: 12[1] *Insula Arpinas habere potest germanam* ἀποθέωσιν; *sed vereor, ne minorem* τιμὴν *habere videatur* ἐκτοπισμός, ubi vocabula *sed* ... τιμὴν in Δ propter vicinitatem verborum Graecorum omissa, in cΣ servata interpolatori libidine grassanti assignat Schmidtius (cfr p. 64). Alia eiusdem generis sunt haec: XII: 22[3] .. *sed quid velim et cur velim, existima* c L(mgo) Z[b]: *et cur velim* om. rell. XVI: 8[1] *Atque a me postulat, primum ut clam colloquatur mecum vel Capuae vel non longe a Capua* c, v. c., Z[b]: *vel* ... *Capua* om. Ω. Atque haec quidem facillima sunt ad diiudicandum: in ceteris iudicium valeto, ut ad Att. XIII: 27[1] *De epistula ad Caesarem, nobis vero semper rectissime placuit, ut isti ante legerent* c = v. c., L(mgo)Z[b]O, de quo loco Schmidtius l. l. p. 703 hoc facit iudicium: '*Epistulam ad Caesarem* ... *legerent* M (= ΔRP) richtig; aber den Lateinern des ausgehenden XIV. und beginnenden XV. Jahrh. war dieser echt lateinische Accusativ *epistulam* fremdartig, deshalb schrieben sie: *De epistula;* so liest man in c, v. c., codd. Bosi.' Sed hanc ipsam structuram quasi signo incorruptae integritatis notatam esse neminem potest fugere, qui exempla Tulliana, qualia sunt haec, propius perspexerit: ad Qu. fr. I: 2[13] *De Censorino, Antonio, Cassiis, Scaevola, te ab iis diligi, gaudeo.* ep. II: 17[2] *De rationibus referendis, non erat incommodum, te nullas referre.* III: 12[2] *De me autem, suscipe paulisper meas partes.* XII: 14[4] (Lentulus) *De nostra dignitate, velim tibi ut semper curae sit.* ad Att. XII: 38[4] *De Drusi hortis, quamvis ab iis abhorreas, ut scribis, tamen eo confugiam, nisi quid inveneris.* de Fin. III: 17[57] *De bona autem fama,* ... *Chrysippus quidem et Diogenes detracta utilitate ne digitum quidem eius causa porrigendum esse dicebant,* id genus plurima, quorum hoc proprium est, ut praepositio *de* absolute ponatur ad rem, de qua agitur, significandam.

Haec fere habui, quae de textu Cratandrino, ut nunc est, afferrem: in quo non id spectavi, ut quo modo enata esset editio illa ostenderem, quaeve ratio inter editiones Iens., Asc. I, II, Crat. intercederet demonstrarem, id quod Lehmannus Att. p. 52 sqq. scite sane ac dilucide exposuit: hoc potius egi, ut ante oculos ponerem, in constituenda memoria ecquid adiumenti nobis afferre posset. Hoc igitur constat, multiplicem ac varium esse textum Cratandrinum neque unius sed complurium eorundemque diversorum

codicum instar habendum : unde sequi, ut neque pro fundament recensionis habendus sit neque prorsus spernendus sed in re critic exercenda sobrio iudicio adhibendus.

Illud denique restat, ut de annotationibus in margine ascrip tis (C) pauca seorsum subiciam : quas optimas esse si non omnes, a tamen plurimas, nemo est, quin videat, neque casu factum est, u C cum Σ tot tamque gravibus locis contra Δ consentiat (v. supr p. 98 sq.). Sed bonis illis lectionibus admixtae sunt quaedam secun dae notae, velut in epistulis ad Qu. fr. hae : I: 1^{38} . . . *omnino no irasci. Nam illud est non solum gravitatis sed non numquam etian lentitudinis* Ω (praeter b), vulg. : *lenitudinis* C = b. II: 2^{1} *No occupatione, qua eram sane impeditus, sed parvula lippitudine ad ductus sum, ut dictarem* . . . Ω : *quamquam* C. 4^{1} *scito hoc nos in e iudicio consecutos esse, ut* . . . Ω : *sequutos* C. III: 1^{5} *alsius* Ω (sec *altius* P Pal.) : *assius* C = GH. — Nonnumquam res dubia est, ut ad Qu. fr. I: 2^{10} . . *scriptum . . ., te aut quasi amicis tuis gratias actu rum aut quasi inimicis incommoda laturum* MbdGH Muell., Purs. Bootius Obs. crit. p. 30 (propter oppositum illud *gratias actu rum*) : *incommodum laturum* ms : *incommodulaturum* N : *incommoda turum* O^1P Pal. (= Φ)C, Tyrr.-Purs., Madv. ad V de Fin. 19^{50}. — ad Brut. I: 8^{1} *Multos tibi commendavi, et commendem necesse est* . . *Sed C. Nasennium . . . tibi ita commendo, ut neminem diligentiu* Baiterus Medicei scripturam *commendavi* (= Ω, Iens.) retinuit, quae mea quidem sententia non inferior est et nescio an melior hac *commendabo*, quam auctoritate solius C recentiores editores pe moti alteri praetulerunt, cfr ep. XIII: 12^{1} *Alia epistula communite commendavi tibi legatos Arpinatium . . ., hac separatim Q. Fufidiun . . . diligentius commendo;* quod A^2c praebent : *commendo,* coniec tura excogitatum videtur. — Sed ut coepi dicere, re universa consi derata inter ceteras praestant lectiones C aliquantumque lucri affe runt ad memoriam constituendam, ubi Ω mendose transscriptu est, sive testimonio codicis Tornesiani, de quo mox agam, confir mantur, ut ad Att. II: 25^{1}, VI: 1^{1}, VII: 7^{5} (v. p. 91), sive uniu C beneficio pristina lectio nobis servata est, ut ad Qu. fr. III: 9 *Erigonae tuae* C, quod quibus gradibus depravatum in *ergo na tus* Δ abierit, varietates codicum Σ declarant, v. p. 71. ad Att VII: 9^{4} *praeteriit tempus non legis, sed libidinis tuae, fac ta men legis : ut succedatur, decernitur* C soli veram scripturam accep tam referimus : *non legit ut* . . . in Ω fuisse, ex M^1Σ concludi potest unde M^2bdms *non legitimum ut* . . . efficientes leviter corrupta i peius mutarunt; v. p. 75. Quantum vero nostris libris praestiteri

vetustus ille codex Cratandri, non solum lectiones indicio sunt sed etiam ea res, quod in eo erant quinque epistulae Brutinae II: 1—5 superstites relictae et quidem suo loco exscriptae.

Ex his, quae breviter exposuimus, satis intellegi posse putamus, quid de editione Cratandrina iudicandum sit: hoc igitur unum restat, ut

2. De codice Tornesiano (Z)

paucis disceptemus, quoniam hanc quoque rem in controversiam nuper deductam videmus.[1] Qui codex a nomine Joh. Tornesi, id est de Tournes, typographi Lugdunensis, anno 1564 emortui appellatus qualis fuerit, ex annotationibus Turnebi (Z^t), Lambini (Z^l), Bosi quoque (Z^b) concludere licet; nam etsi Bosius dubiae fidei homo ac mendax fuisse videtur, tamen quin magna religione egerit in lectionibus ex Z afferendis vix est, quod dubitemus, ut par erat in eo codice, cuius aliis quoque copia esset inspiciendi quemque paulo post Tornesio remissurus esset.[2] Hunc librum manu scriptum CcW illis affinem fuisse ideoque transalpinis annumerandum esse magnique aestimandum cum alii viri docti tum Lehmannus (Att. p. 121 sqq.) sibi persuaserunt; alii, quo in numero sunt Fridericus Schmidtius[3] et O. E. Schmidtius, Tornesianum neque sui iuris neque magni pretii esse et contaminatum interpolationibusque depravatum censent. O. E. Schmidtius quidem Z familiae Σ ascribendum esse olim putabat, cfr 'Briefwechsel' p. 438: 'Z war', inquit, 'ein Codex aus Italien und zwar ein durch Konjektur und Interpolation weitergebildeter Abkömmling des Veronensis, aus dem auch M abgeleitet ist; Z steht also auf einer Stufe mit Lehmanns EORP'. Sed paulo post de ipsa origine cautius iudicandum esse ratus de indole tamen ac natura Tornesiani eandem fere sententiam exposuit Philol. t. LV (a. 1896) p. 710 sqq., velut p. 716 haec: 'Unter diesen Umständen erkläre ich nochmals aus-

---

[1] De cod. Wurceburgensi W, quoniam nulla fere est dissensio inter viros eruditos quoniamque trunca quaedam adhuc exstant, seorsum disputandum esse non putavi.

[2] A. C. Clarkius, Anecdota Parisiensia ad libros epp. ad Att. Tornaesianum et Crusellinum. Philol. LX (1901) p. 195 sqq.

[3] 'Der Codex Tornesianus der Briefe Ciceros an Att. und sein Verhältnis zum Mediceus', in libro gratulatorio ad Heerwagenium misso a. 1882, p. 18—33.

drücklich, dass ich das *Corpus der von Lehmann als Z ausgegebenen Lesarten* nicht als eine selbständige, echte Überlieferung anerkenne, weil darin wenige echte Elemente von den heillosesten Konjekturen und Interpolationen der Italiener bis zur Unkenntlichkeit und Unbrauchbarkeit überwuchert sind'; p. 718: 'Ich stimme mit der älteren, schon von Orelli und Baiter vertretenen Auffassung überein, wenn ich sage: Z ist kein Abkömmling von M, ich widerspreche Lehmann, wenn ich behaupte, Z war von Konjekturen und Interpolationen durchsetzt, ich nähere mich dem Standpunkte Friedrich Schmidts, wenn ich sage: Z steht in seinen echten Elementen der italienischen Ueberlieferung MΣ entschieden näher als der deutschen ... Soviel aber behaupte ich mit aller Bestimmtheit, dass der Tornesianus Lambins, mag sein Grundstock gewesen sein, welcher es wolle, von Konjekturen und Interpolationen der Italiener durchsetzt war, also zu den contaminierten Hdn. zu rechnen ist.'

Haec fere Schmidtius. — Iam ut inde ab initio, id quod ante aliquotiens feci in rebus controversis, quid de hac re ipse sentiam, breviter exponam, mihi quidem non dubium est, quin vir ille eruditissimus coniectura aberraverit: nimia enim aestimatione Medicei eo deductus est, ut neque de ceteris codicibus Italicis, id quod supra vidimus, neque de transalpinis satis integre iudicaret. Quo factum est, ut tota fere ratio de librorum memoria, quam breviter comprehendit Phil. t. LV p. 726 (v. supra p. 59), ipsis rebus non comprobetur. Ac de libris Cratandrinis quoniam paulo ante egimus, ad Tornesianum paulisper advertamus animum: de quo quid existimandum sit, dilucidius apparebit, si rationes, quas Schmidtius l. l. p. 710 attulit, singulas strictim percensuerimus.

Schmidtius igitur, cum antea vel eam ob causam Z ex Italia oriundum esse suspicatus esset, quod de Z in Gallia reperto nulla memoria prodita sit,[1] postquam Gurlittus demonstravit fieri posse ut Tornesianus idem fuerit atque codex quidam in monasterio Cluniacensi saeculo XI repositus,[2] quaestione de origine eius in medio relicta lectionibus potius rem agendam esse concessit.[3] Cu

---

[1] Briefwechsel' p. 438: a) 'Man weiss nichts von der Auffindung des Codex Z in Frankreich; wäre er dort ... zum Vorschein gekommen, so hätte Lambin ... dies nicht verschwiegen.'

[2] 'Der codex Turnaesianus zu Ciceros Briefen ad Atticum', 'Berl. phil. Woch.' XIV (1894) p. 925 sq.

[3] Philol. l. l. p. 712: 'Lassen wir also einmal sowohl meine Vermuthung Z stamme aus Italien, als auch die Gurlitt'sche, Z stamme aus Clugny, eben al

equidem ita assentior, ut nihil omnino de auctoritate fideque cuiuslibet codicis detrahendum esse censeam, si forte memoriae non traditum est, ubi quove tempore inventus sit, modo assint lectiones satis certis testimoniis comprobatae. Iam vero illud nihil valere vix est, quod moneam, in Gallia alios codices affines Tornesiano vel recentiores ex eo descriptos non inventos esse.[1]

Quod vir ille doctissimus hoc tertium affert argumentum, nulla fere Medicei graviora menda lectionibus Tornesiani tolli,[2] hoc nimium est; quod vero Tornesiano et Mediceo multa mendosissime descripta communia sunt, ex ea videlicet re non sequitur, ut M et Z idem archetypum Italicum ultimo gradu habuerint parentem : etenim, si verum fateri volumus, ex vetustiore etiam fonte, id est, ex archetypo utriusque familiae, et cisalpinae et transalpinae, communi talia fluxisse, plane nihil est, quod infitiemur. Velut conferamus haec: ad Att. I: 12[3] *eumque per manus servulae servatum et eductum* vulg., vett., ms ex coniectura : *Seprullae* Ω CZ[b]: *Serviliae* M[4]. III: 15[4] ⟨*aut occubuissem honeste*⟩, *aut victores hodie viveremus* M[4], vulg. : vocabula uncis inclusa om. ΩZ[1]. V: 2[2] *exiens e sua villa* Lamb. et Mur., vulg. : *expense* ΩZ[b]. 14[1] *me amas*] *meas* ΩZ[1], id genus multa, quae non opus est exscribere; ex quibus hoc quoque intellegitur, in Z menda archetypi cum cura et fide transscripta esse neque intempestivis correctionibus in deterius mutata.

Ac si inter CcWZ et Ω nihil discriminis esset, opinatio Schmidti haberet, quo niteretur : nunc vero vel lectionibus p. 91 sq. allatis necessarie demonstratur, vetustos codices Cratandri, quorum imaginem quaedam lectiones C et c reddunt, et W et Z affines esse et ab alio eodemque vetustiore ac meliore archetypo deductos esse quam Ω. Quo magis mirandum est, Schmidtium sibi adeo non constare, ut Philol. l. l. p. 711 affirmet, consensione, quae est cum C(c), Tornesianum non satis commendari, quod Cratander recentiores quoque codices Italicos adhibuerit,[3] p. 718 concedat

---

Vermuthungen bei Seite und beschränken wir uns auf das, wir über Z wirklich erfahren, auf die Lesarten'.

[1] 'Briefwechsel' p. 439: b) 'Z hat keinerlei auf französischem Boden entstandene Verwandten oder Abkömmliche aufzuzeigen' = Philol. l. l. p. 711: 2).

[2] 'Z lässt uns fast überall im Stiche, wo M eine wirklich schwere Verderbnis zeigt', 'Briefwechsel' p. 430: c) = Philol. l. l. p. 711: 3).

[3] l. l. p. 711: 7) 'Die Übereinstimmung zwischen Z und C(c) brauchen nicht zu Gunsten von Z zu sprechen, weil Cratander auch jüngere italienische Hdn. benutzt hat'. — Praeterea Schmidtius, id quod ante aliquotiens demonstravimus, recentioribus codicibus multa attribuit, quae et vera et vetusta esse apparet.

fieri posse, ut quaedam lectiones Tornesiani ex diverso fonte fluxerint atque illo, unde codices Ω originem traxerunt: 'Denn einerseits', inquit, 'stimmt Z... so vielfach mit M (und ich füge hinzu mit Σ) überein,... dass man annehmen kann, Z entstamme, wie Σ, einer andern Abschrift desselben Archetypus wie M, also des Veronensis. Andererseits bleiben aber, auch wenn man alle Gleichungen mit M und Σ streicht, doch einige Lesarten übrig, die neben Z keine Hd. der italischen Gruppe hat, z. B. II: 19^2 *peraequi* neben C *peraeque*, M^1 *de reque* (addo GH idem fere praebere: *de re quae*), M^2ENPO^2 *denique* (= bdms). VI: 3^6 *cibaria praefecti* WZL^1, *cibaria profecto* MENOc (ohne C). XI: 23^3 *vel in Metellae* WZL^2, *velim Metellae* ZB, *vel Metellae* MΣ. Solche Stellen können auf genauerer Entzifferung derselben Vorlage beruhen, aber es ist auch möglich, dass hier und in ähnlichen Fällen ein anderer Archetypus im Spiel ist. Etwas Bestimmtes darüber zu sagen, bin ich nicht in der Lage...'

Videmus igitur, virum illum eruditissimum nescio quo modo ea defendentem, quae nullam defensionem habeant, in angustias adduci: neque melius rem egit paulo supra l. l. p. 718, ubi veras lectiones Z a codicibus Italicis MΣ propius abesse quam a WCc his exemplis probare studet: 'Zum Beweise diene', inquit, 'Z kennt nicht die Glanzstellen der deutschen Tradition: X: 11^3 ⟨*tempora sunt ut*⟩ *omnia mihi sint patienda* cW, 11^5 ⟨*iocatus*⟩ *id tu* c, ⟨*locatus*⟩ W; ⟨*te sulita re quasi debilitatum*⟩ CW, wo M *te subdebilitatum* und Σ ähnliches bietet, Z schweigt etc. Andrerseits ist die Glanzstelle von Z und Σ XV: 3^1 *accepi*⟨*nati*⟩ nicht durch die deutsche Überlieferung bezeugt'. Nam primo quidem loco *tempora sunt ut* praeter cW servavit Z^b; XV: 3^1 quid CW habuerint, non liquet, quoniam W deest, Cratander autem non semper lectiones ascripsit, quas in vetustis eius libris fuisse veri simillimum est (v. p. 99); fieri igitur potest, ut CW *accepi nati* habuerint. Cavendum enim est, ne argumentis ex silentio, quae vocant, nimium tribuamus, cum annotationes tantum, non ipsos codices habeamus. Denique non mirum est, parvulas discrepantias inter codices CcWZ eiusdem familiae Y intercedere, ut VIII: 1^2 *tutissimo* C : *tupissimo* Z^1 (p. 78 sq.); quod idem in codices familiae Ω cadere vidimus.

Atque Z sui iuris esse magis etiam confirmatur his exemplis, quibus simul illustratur, quibus gradibus corruptela latius serpserit: ad Att. I: 10^1 *nuntiavitque, eo ipso die post meridiem iturum eum, qui ad te proficisceretur,* ubi vera lectio Z^1 *iturum*, postquam *-m*

littera, qua *meridiem* terminatur, ad posterius vocabulum adhaesit, ut **miturum* fieret, emendando depravata in *missurum* (Ω) abiit. — 18^{1} *Multa sunt enim, quae me sollicitant anguntque; quae mihi videor . . . exhaurire posse* Z : *angunt que mihi* Ω. II: 7^{3} *Druso, ut opinor, Pisaurensi an epuloni Vatinio reservatur* Z : *pisaurensia nepoloni* M^{2} al. Σ (sed *-ntia neptolimi* Pal.) : *pisaurensia neptiloni* Δ (sed M^{1} *-nsi a nept-*, corr. M^{2}) : *pisaurensi nebuloni* $M^{4}s^{2}$. — III: 15^{2} *Ceteros quod purgas, debent mihi probati esse, tibi si sunt*] *ceteros quod* Z^{1} : *ceteros quos* MmΣ : *ceteri quos* bds. IV: 5^{2} *a Vettio me emisse* Z^{b} : *a Vectio emisse* NOP Ant. F (sed *avercio* N) : *aut etiam emisse* Δ. V: 18^{2} *consedimus . . . expedito ad mutandum loco* Z^{b} : *ad mutandum locum* Ω. VI: 8^{5} *Bibulus, qui, dum unus hostis in Syria fuit, pedem porta non extulit* Vict. (coll. VII: 2^{6} *qui pedem porta, quoad hostis cis Euphratem fuit, non extulerit*), vulg. : *hospis* Z^{1} : *hospes* Ω. VII: 13^{3} *de meis te considerare velim* Z : *de me ista* Ω. Ex quibus hoc etiam apparet, Σ familiae codices, quos supra p. 98 sqq. vidimus ad similitudinem vetusti libri Cratandri propius accedere quam Δ, Tornesiano quoque similiores esse (cfr Lehmannus Att. p. 182 sq.), quae res Schmidtio, cum Σ contaminatos interpolatosque censeat, scrupulo fuit,[1] nobis vero, quibus persuasum est, Σ meliores esse quam Δ (v. p. 72), Z magis etiam commendat. Neque tamen tanta cupiditate occaecati sumus, ut hoc contendamus, Z quasi omnibus numeris absolutum ac perfectum fuisse, nam praeter ea menda archetypi, de quibus mentionem fecimus p. 105, etiam alia Tornesiani propria afferre possumus, ut haec: VI: 4^{2} *Quod enim tu afuisti*] *tu abfuisti* ΔNP : *tu affuisti* H : *tua fuisti* Z^{1}. VII: 3^{8} *omnem pecuniam* om. Z^{1} (cfr ea, quae de C diximus p. 102); atque XVI: 11^{3} '*O Tite*' *tibi prodesse laetor* mihi quoque lectiones Z^{1} *Librum meum illum* '*O Tite*' et c *Librum illum meum* '*O Tite*' interpolationis suspicionem movent (om. Btr., Muell., Purs., Bootius cum Ω). Sed re universa considerata exemplisque ratione animoque lustratis, qualia sunt haec — libet enim in subducenda ratione insignia quaedam recognoscere —: ad

[1] Philol. LV: 711: 4) 'Die von M sich weiter entfernenden Lesarten und namentlich die Ergänzungen in Z erweisen sich meist als Konjekturen und Interpolationen.' — 5) 'Die Konjekturen und Interpolationen stimmen vielfach mit solchen aus Hdn. der Σ-klasse überein, sind also, wie diese Hdn., vermuthlich in Italien entstanden.' — 6) 'Die wenigen von M abweichenden und doch echten Lesarten in Z finden sich teilweise auch in den italienischen Hdn. der Σ-klasse.' — 9) 'Z stand den beiden Parisini PR nahe' . . . Cfr 'Briefwechsel' p. 439. — De similitudine, quae est inter Z et Σ, inter nos plane convenit: de coniecturis interpolationibusque mirum quantum discrepat.

Att. II: 25[1] *Sed ego mallem ad illum scripsisses, mihi illum satisfacere, non quo faceret, sed ut faceret* CZ : *non quo faceret* om. Ω. V: 17[5] *Si quicquam me amas, hunc locum muni* CZ : *hunc locum ama* Ω. VI: 3[6] *Unde me iubes petere cibaria praefecti* WZ : *profecto* Ωc. II: 7[3] *Pisaurensi an epuloni* Z : *pisaurensia nepoloni* Σ : *pisaurensia neptiloni* Δ. XV: 3[1] *accepi in Arpinati duas epistulas* Lamb. : *accepi nati* ZΣ : *accepi* (om. *nati*) Δ. II: 25[1] *tuus familiaris Hortalus.. quam ornate nostras laudes in astra sustulit* Z : *hortatus* Ω. III: 18[1] *actorem* Z : *au(c)torem* Ω. VII: 13[3] *de meis te* Z : *de me ista* Ω — sed ut dicere institueram, haec et id genus alia propius perspicientem non poterit fugere, Z codicibus Germanicis affinem esse et ex vetustiore archetypo quam codices Italicos deductum ideoque magni aestimandum: quo melius nobiscum actum esse putamus, quod in posterioribus ad Atticum libris, ubi dira sane penuria bonorum codicum laboramus, tot tamque gravibus lectionibus de Tornesiano illo depromptis ad verum recuperandum adiuvamur.

Haec fere habui, de libris transalpinis quae dicerem. Absoluta igitur universa quaestione de codicum ratione, qua contineri apparet totam emendandi et recensendi artem et scientiam, in altera commentationis parte, quae invenimus, ad usum transferre in animo est de locis quibusdam legendis atque interpretandis disputantes.

PARS ALTERA

ANNOTATIONES CRITICAE

In epistulis Ciceronis explanandis vel emendandis si quis prospero successu operam studiumque collocaturus est, multa ei sane animadvertenda sunt: primum enim necesse est, id quod supra saepius ostendimus, codicum rationem cognoscere, quo certius de archetypi scriptura, a qua semper proficiscendum est, iudicari possit, deinde illorum temporum memoriam et ipsas res, de quibus agitur, quod eius fieri possit, perspectas habere (multa enim, ut in epistulis, obscura sane sunt semperque erunt); denique permagni momenti est, Ciceronis sermonem et dicendi consuetudinem diligenter perscrutari. Qua quidem in re hoc tenendum est, orationis genus, quo in epistulis utitur, non uno nomine ab eo discrepare, quod ex reliquis eius scriptis cognovimus; quod ep. IX: 21[1] ipse testatur: *epistulas vero cottidianis verbis texere solemus.* Cfr etiam Quintil. I. O. IX: 4[19] *est ante omnia oratio alia vincta atque contexta, soluta alia, qualis in sermone et epistulis, nisi cum aliquid supra naturam suam tractant, ut de philosophia, de re publica similibusque.* Atque ipsae epistulae mirum quantum inter se discrepant: in aliis enim, ut ad Att., quocum epistulis quasi familiariter locutus est (I: 9[1] *brevior haec ipsa epistula est, quod nolebam, illum nostrum familiarem sermonem in alienas manus devenire;* VIII: 14[2] *ego tecum tamquam mecum loquor*), ad Qu. fr. (I: 1[45] *cum ad te scribo, tecum loqui videor*), ad Paetum (ep. IX: 21[1] *verum tamen quid tibi ego videor in epistulis? nonne plebeio sermone agere tecum? nec enim semper eodem modo*), multo familiariore utitur genere dicendi, haud raro etiam neglegentiore, in aliis magis elaborato atque ornato; velut ad Att. IV: 6[4] ipse testatur, epistulam Lucceio eodem tempore datam (ep. V: 12) *valde bellam* sibi videri. Contra in epistulis, quas in exsilium proficiscens dedit, multa parum accurate scripta esse monuerunt Tyrr.-Purs. : p. 77 ann. — Quae cum ita sint, etsi ex se maxime explicandus est Cicero, haud alienum erit alios quoque scriptores ad sermonem illum cottidianum illustrandum in comparationem vocare :

qua quidem in re quantum adiumenti ac lucri afferant fabulae Plautinae et Terentianae, carmina Catulli, sermones Horati, neminem fugit. — Hoc denique praemonitum velim, antequam ad ipsam rem transeo, coniecturarum me admodum parcum fuisse et id potius egisse, ut codicum memoriam antea parum cognitam ob eamque rem praeter necessitatem saepius temptatam ab iniuria ac molestia vindicarem.

---

ad Brut. I: 2[1] *Scripta et obsignata iam epistula litterae mihi redditae sunt a te plenae rerum novarum, maximeque mirabile, Dolabellam quinque cohortes misisse in Chersonesum.* — *maximeque*] *maxime* ms — *mirabile*] *mirabiles* P Pal., Iens. — *maximeque mirabile* ⟨*est*⟩ coniecit Orellius, *maximeque mirabilium* alii; ante *Maximeque* plene interp. Wesenb., Tyrr.-Purs.

In librariorum quorundam et editorum offensionem haec potissimum cecidisse videntur, detractio verbi substantivi et copulatio sententiarum, quae non satis apte inter se cohaerere videantur. Atque ellipsis quidem vix opus est exempla afferre, quae per omnes libros Tullianos nobis occurrant,[1] sed ne sine exemplis disputemus, ex infinito numero haec delibemus: ad Att. VI: 1[13] *Hortensio quod causam meam commendas, valde gratum.* XVI: 8[1] *veteranos .. perduxit ad suam sententiam. Nec mirum : quingenos denarios dat.* De leg. III: 18[42] *parere iubet intercessori, quo nihil praestantius; impediri enim bonam rem melius quam concedi malae.* Lael. 24[89] *Obsequium amicos, veritas odium parit. Molesta veritas, si...; sed obsequium multo molestius, quod...* Ep. XI: 14[3] *Id si ita est, omnia faciliora; sin aliter, magnum negotium.* Parad. stoic. 2[18] *Mortemne mihi minitaris, ut..? Mors terribilis iis, quorum ...* Persaepe variat oratio, velut ep. XII: 28[2] *Quod societatem ... renovas, gratum est; quae societas ... manebit; gratum etiam illud, quod ...* ad Brut. II: 5[1] *Sed nihil necesse erat eadem omnes, illud necesse, me ...* Ep. X: 12[3]. Quae cum ita sint, memoriam codicum satis confirmatam et hic et alias integram atque intactam servandam esse apparet; in quam editores haud raro petulantius invecti sunt. Velut ad Qu. fr. III: 2[3] *Domi recte, et ipsa domus a redemptoribus tractatur non indiligenter* (Ω) qua re factum sit, ut ad unum omnes Wesenbergi coniec-

---

[1] Cfr Heidemannus, De Ciceronis in epistulis verborum ellipsis usu, p. 12 sqq. Seyffertus et Muellerus ad Lael. 4[14] p. 84. Vahlenus de Leg. III: 20[17]. V. supra p. 39.

uram (Emend. p. 18) *domi recte est; ipsa domus* eqs. amplexi sint, equidem non perspicio; neque enim sermo cottidianus *est* equirit, neque in *et* haerendum, quo iam inde a Plauti aetate pposita copulantur, ut Pers. 762 *Nam improbus est homo, qui beneficium scit accipere et reddere nescit* (cfr asyndeton Livianum XXII: 51[4] *vincere scis, Hannibal, victoria uti nescis*). Aul. 229. ad Att. I: 20[5] *me faciam Laelium et te Atticum.* VII: 2[2] *etsi alteram quartanam ... dixit decessisse et alteram leviorem accedere.* Tusc. disp. : 6[13]. Tac. Ann. II: 72 *Haec palam et alia secreto.* Cfr Kunzius, Sallustian. III: 197. Itaque praeter necessitatem Wesenbergius Em. Alt. p. 78 et Bootius Obs. crit. p. 39 temptarunt ad Qu. fr. II: 8[6] *Pompeius ei nihil tribuit et omnia Guttae* particulam delentes exempla Muelleri ad h. l. annotata magnam partem diversa sunt).

Verum haec hactenus: sequitur, ut demonstremus, de sententiarum inter se copulatione iniuria dubitatum esse. Primum igitur constat, Ciceronem alias quoque in perscribendo, quid in epistulis sibi allatis fuisset, laxius nec nimis scite enuntiata composuisse, velut ad Qu. fr. II: 13[1] *Litterae vero eius* (i. e. Caesaris) *una datae cum tuis, quarum initium est, quam suavis ei tuus adventus fuerit, et recordatio veteris amoris, deinde, se effecturum, ut ego in ... desiderio tui te ... secum esse laetarer, incredibiliter delectarunt.* — Sed haec res aliquanto latius patet: in quam si quis studiosius attenderit animum, multa inveniet ab editoribus sine iusta causa addubitata et emendata, quae observata Ciceronis consuetudine facile vindicantur.

Velut adiectiva et adverbia et apud alios scriptores et apud Ciceronem saepenumero copulantur hoc modo: ad Att. VI: 3[4] *De urbanis rebus scilicet plura tu scis: saepius et certiora audis.* II: 5 *Terentia tibi et saepe et maximas agit gratias.* 7[3]. IX: 1[3]. Ep. XII: 14[6]; plura congessi in disputatione de particulis copulativis apud Plautum et Terentium p. 58 sqq. Cfr Schmalzius Stil.[4] p. 679 ann. 4. Quae cum ita sint, cur in ep. ad Brut. I: 17[4] *An hoc ipsum ea re facit, quod illi propter amplitudinem omnia iam ultroque deferenda putat* haeserit Muellerus, non intellego: '*ultro quidem*', inquit, 'scribendum videtur ut p. 555. 34 (= Brut. II: 3[3]), i. e. *et quidem ultro*'; neque editoribus assentior ad Att. VII: 17[2] *Perspici ... potest, nihil Caesari negari omniaque et cumulate, quae postulet, dari* (= ΔN: *et* omis. EP; deest H) Kochio auctore (Mus. Rhen. XII: 274) *et* in *ei* mutantibus.

Sententiae relativae non numquam componuntur addita particula copulativa, etiamsi ad diversas notiones referuntur, ut

Plaut. Stich. 2 sqq. *nam nos eius animum*
De nostris factis noscimus, quarum viri hinc absunt,
Quorumque nos negotiis absentum, ita ut aequom est,
Sollicitae noctes et dies, soror, sumus semper.
Ter. Hec. 477 sq. *sese esse indignam deputat, matri meae*
Quae concedat cuiusque mores toleret sua modestia;

cfr de part. cop. apud Plaut. et Ter. p. 119 sq. Tertium ascribo Tullianum hoc: ad Att. VI: 3[5] *Qui quia non habuit a me turmas... fortasse suscenset, aut quia praefectus non est, quod ego nemini tribui negotiatori, non C. Vennonio, meo familiari, non tuo, M. Laenio et quod tibi Romae ostenderam me servaturum; in quo perseveravi* — *id quod* Corradus; *et, quod... ostenderam.., in eo* Urs., Wesenb., Tyrr. — Porro memoratu digna videtur haec forma sententiarum relativarum, qua Cicero ad Att. II: 9[1] scribit... *dialogos cum eos, de quibus scribis, tum illum, quem abdis et ais longum esse quae ad ea responderis, perscribere*, ubi enuntiationem relativam excipit altera a pronomine non pendens, ut Tib. II: 3[53] *vestes, quas femina Coa Texuit auratas disposuitque vias.* Catull. 30: 5. 81: 5 cfr Vahlenus Opusc. I: 166.

Venimus nunc ad sententias liberas; in quibus explicandis a consuetudine Plautina rursus proficiscendum esse videtur, qui copulando solet diversi generis enuntiata iungere, qualia sunt haec:

Most. 815 *Quid nunc?* SI. *Quin tu is intro atque otiose perspecta, ut lubet.*
Truc. 631 *Datin soleas atque me intro actutum ducite.*
Merc. 582 *Quid stamus? quin ergo imus, atque obsonium*
Curemus, pulcre ut simus?
Rud. 1205 *Aliquando osculando meliust, uxor, pausam fieri,*
Atque adorna, ut rem divinam faciam.
Men. 879 sq. *Quid cesso abire ad navem, dum salvo licet?*
Vosque omnis quaeso, si senex revenerit,
Ne me indicetis, qua platea hinc aufugerim.
Ter. Andr. 613 *Qua audacia id facere audeam?*
Nec quid me nunc faciam scio.

Quae variis modis sine iusta causa temptarunt editores:[1] etenim *quin tu is, datin, meliust pausam fieri* sensu idem est atque *i tu*

[1] Cfr Perssonius, Adn. Plaut. p. 99. Leo ad Asin. 254. Sjögrenius, 'Futurum im Altlat.', p. 75 sq.

date, pausam fac; quin imus nihil aliud valet quam *eamus; quid cesso abire* significat *iam abeo, qua audacia . . . audeam* pro eo quod est *non audeo* usitato more dicitur: unde intellegitur, in eo, quod copulando iunguntur sententiae supra perscriptae, non offendendum esse. — Eodem modo Cicero scripsit ad Att. III: 26 *Mihi in animo est legum lationem exspectare et, si obtrectabitur, utar auctoritate senatus et potius vita quam patria carebo*, ubi prius *et* omis. editiones Iens. et Crat. — Neque secus iudicandum est de ep. ad Att. II: 11^2 *Haec igitur, et cura ut valeas*] *et* M^1ms ENP: om. bdGH, c, vulg.: linea subducta deletum est in M (M^3); in verbo *invitem* desinit epistula in Pal. et Rav. Verba *Haec igitur* ab editoribus inutiliter temptata esse[1] Löfstedtio nostro[2] libentissime assentior; qui quod vulgatam scripturam *Haec igitur. Cura ut valeas* defendit coll. C. I. L. IX: 2272 HAEC · SVNT · BENE · VIVE · VIATOR, de *et* autem subdubitat nondum explicata codicum ratione, hoc primum satis constat, in Ω fuisse *et*, in quo offendentes M^3 bdGH more suo tradita in peius mutarunt; cfr p. 54. Porro tituli illius sepulcralis paulo alia ratio est, ubi clausula illa *Haec sunt* finis imponitur narrationi D · M · S | APOLLONIA · QVAE · VOCITABAR | LAPIDE · HOC · INCLVSA · QVIESCO | eqs. MATER · MISERA · HOC · MONVMENTV | EXTRVXIT · OLYMPIAS · AMENS | HAEC · SVNT · BENE · VIVE. VIATOR, ut Cicero ipse in epistula ad Att. VI: 3, postquam amico varia narravit (de provincia, de causa Bruti, de Hortensio filio), hunc in modum pergit § 10: *Haec sunt; etiam illud. Orationem Q. Celeris mihi velim mittas contra M. Servilium.* Sed in ep. ad Att. II: 11^2 non *sunt* tantum audiri indicio est contextus sermonis; nam post interposita illa media *Nos in Formiano esse volumus* usque ad ἰδέσθαι verbis *Haec igitur* eo revertitur, unde digressa est oratio, ad priora illa *puero . . . da ponderosam aliquam epistulam . . . ac diem, quo Roma sis exiturus, cura ut sciam*, quae animo obversantur: unde facile intellegitur, aptissime inter se necti *Haec igitur* (scil. *velim facias* vel *cura*), *et cura ut valeas;* cfr ad Att. VIII: 12^6 paulo infra.

ad Att. VIII: 10 *Morem gessi; dimisi* (scil. Dionysium) *a me ut magistrum Ciceronum non lubenter, ut hominem ingratum non invitus. Volui te scire, et quid ego de eius facto iudicarem* rectis-

---

[1] *Haec igitur cura ut⟨sciam et ut⟩valeas* Otto, Mus. Rh. XLI: 365 coll. V: 11^7, 20^9. *Haec igitur cura, et ut valeas* Tyrr.[1] in annot. crit. Ingramio duce. *Haec igitur ⟨ego; tu⟩ cura ut valeas* Reidius ap. Tyrr.[3] *Haec igitur: cura ut valeas* Klotzius.

[2] Eran. VII: 108 sq.

sime interpretatus est Muellerus: 'et rem et meum iudicium'; *et* om. vulg. Quod Purserus *id* excidisse suspicatur ('fort. *Volui id*'), pronomen hic non magis desideratur quam verbi gratia Luc. 4[11] *stomachari tamen coepit. Mirabar; nec enim umquam ante videram.* De re p. I: 30[46] *Scio tibi ita placere; saepe enim ex te audivi.* Ep. X: 31[6] (Asin. Pollio) *invideo illi* (familiari meo) *tamen*, *quod ambulat et iocatur tecum. Quaeres, quanti aestimem. Si umquam licuerit vivere in otio, experieris*, quibus locis fuerunt qui *id* insererent. — Cfr p. 134; Lehmannus, Quaest. Tull. p. 15 sq. Lebretonius 'Études' p. 151.

In eundem denique numerum referenda sunt exempla, quale est ep. XIV: 7[3] *Tu primum valetudinem tuam velim cures*, *deinde*, *si tibi videbitur*, *villis eis utere, quae longissime aberunt a militibus*, ubi Wesenbergius Em. Alt. p. 49 praeter necessitatem pro futuro *utere* coniunctivum *utare* substitui iussit; cfr enim ad Att. VIII: 12[6] *Haec igitur videbis*, *et . . . Demetri Magnetis librum . . . velim mihi mittas.*

---

ad Brut. I: 4 a[2] Brutus Ciceronem admonens, ne in tribuendis honoribus nimium liberalis sit, quam ob rem cautio moderatioque adhibenda sit, hanc affert rationem: *Nihil enim senatus cuiquam dare debet*, *quod male cogitantibus exemplum aut praesidio sit.* — *exemplum* Ω excepto Pal.: *exemplo* Pal., Iens., c, vulg.

Quod libri miro sane consensu conservarunt, id editores iam inde ab editione principe anno 1470 emissa tam aperte corruptum iudicarunt, ut omnes ad unum, quod sciam, mutaverint. Quid, quod viri eruditi, qui epistulas novissimi edendas curarunt, Muellerus, Tyrrellus, Purserus, Medicei scripturam — ceterorum enim memoriam nondum compertam habebant — ne commemoratione quidem dignam putarunt? Si quis igitur *quod . . . exemplo aut praesidio sit* legit, in quo nihil sane est cur offendat, ne suspicari quidem potest, in libris manu scriptis *exemplum* traditum esse. Neque tamen veri simile est, librarium aliquem, si in archetypo *exemplo* invenisset, in *exemplum* mutaturum fuisse, quod primigenium esse apparet. 'At nullo pacto ferri potest casus rectus cum dativo compositus'. Potest vero, neque durior est haec inconcinnitas orationis quam vel Plaut. Poen. 145 *Si tibi lubido est aut voluptati, sino*: quo uno versiculo fides codicum iniuria addubitata satis comprobatur.

---

ad Brut. I: 17[4] Brutus Attico haec scribit: *Nimium timemus mortem et exsilium et paupertatem. Haec mihi videntur Ciceroni ultima esse in malis, et, dum habeat, a quibus impetret, quae velit, et a quibus colatur ac laudetur, servitutem, honorificam modo, non aspernatur.* — *mihi* Ω, c, Bait., Tyrr.-Purs. : *nimirum* Stangelius Philol. t. XLVI (1888) p. 209, Muell., Purs. : *mihi* ⟨*vilia*⟩ Becherus Philol. t. XLIV (1885) p. 500 : *mihi* ⟨*levia*⟩ Madv. Adv. crit. III: 201.

Hunc locum ex eis esse existimo, quos critici, dum prava corrigere sibi videntur, quae recte scripta sunt perperam interpretati ultro depravarunt. Ne Tyrrellus et Purserus quidem, quamquam librorum memoriam integram reliquerunt, verborum vim et sensum satis perspexerunt: 'It seems to me that these things are in Cicero's eyes the most extreme of ills', quoniam *videntur* cum dativo, qui est *Ciceroni*, iungendum esse manifestum est. Sed etiam Becherus et Madvigius, sagacissimus ille ad emendandum, tota via errarunt Bruti iudicium a Cicerone dissentientis desiderari opinati; nam ut mittam, quod non satis causae attulerunt, cur verbi gratia *vilia* vel *levia* excidisse videantur, omnino oppositio illa mirum quantum friget. Multo magis quadrat ad colorem huius loci et tenorem orationis illud *nimirum*, quo acerbitas obiurgationis augetur, ut verbis *nempe* et *scilicet* in ep. 16[4]. Sed nulla tamen mutatione opus est, quoniam illud ipsum *mihi* idem fere valet: quod nihil aliud esse quam Dativum ethicum, qui vocatur, vehementer admiror tot tamque eruditos viros fugisse.

Constat enim, iam inde a Plauti et Terenti temporibus dativos, qui sunt *mihi*, *tibi* (*nobis*, *vobis*), in cottidiano potissimum sermone adhiberi[1] ad varios affectus animi ac motus leviter significandos, velut in locutionibus *em*, *eccum*, *ecce tibi*: Stich. 577 *Atque eccum tibi lupum in sermone* = Ad. 537 Sy. *em tibi autem.* Ct. *Quid namst?* Sy. *Lupus in fabula.* ad Her. IV: 10[14] *deinde, ubi visum est, ut in alveum descenderet, ecce tibi de traverso: 'Heus' inquit,...* ad Att. II: 15[3] *Cum haec maxime scriberem, ecce tibi Sebosus!* ex quibus exemplis simul intellegitur, quibus gradibus paulatim attenuata sit principalis significatio eoque res deducta, ut pronomen quodam modo abundare videatur. — ad Att. II: 8[1]. VII: 19. IX: 14[1]. XIII: 42[3]. XIV: 19[1]. ad Brut. II: 5[3]. de Or. II: 22[94], al. — ad Att. I: 14[5] *Hic tibi rostra Cato advolat.* Ep. VIII: 2[1] (Caelius). — ad Att. VIII: 8[2] *At ille tibi* πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ *dicens per-*

---

[1] Cfr Köhlerus, 'Die Partikel *ecce*', Arch. Woelffl. V: 25 sqq. Landgrafius, 'Der Dat. ethicus', ibid. VIII: 48 sqq. Lebretonius, 'Études' p. XIV. Tyrr.-Purs. ad ep. ad Att. IV: 2[4].

git Brundisium. Ep. IX: 2[1] . . . *oblitum credidi* (scil. *Caninium*) . . . *At tibi repente paucis post diebus venit ad me Caninius mane.* ad Att. X: 16[4] . . . *centuriones . . . me velle postridie convenire . . . At ego tibi postridie a villa ante lucem, ut me omnino illi ne viderent* (sic enim legendum est cum MmE — ceteros codices nondum inspexi —, nam O. E. Schmidti coniectura *At ego abii postridie* 'Briefwechsel' p. 181 prolata sed nullis argumentis confirmata et tamen Muellero et Pursero probata minime placet; de ellipsi verbi movendi cfr Heidemannus, De Cic:is in epp. verborum ellipsis usu p. 50 sqq.). — Dativus solus ponitur v. g. pro Rosc. Am. 46[133] *Alter tibi descendit de Palatio.* de re p. VI: 17 *Nonne aspicis, quae in templa veneris? Novem tibi orbibus vel potius globis connexa sunt omnia . . .* ad Att. IV: 2[4] *Vix tandem tibi de mea voluntate concessum est,* quem locum critici non destiterunt violare (v. p. 47). — Plur., Liv. XXII: 60[25] *tradiderunt arma ac se ipsos. Haec vobis istorum per biduum militia fuit.*

Or. in M. Ant. VIII: 4[11] *Hic mihi etiam Q. Fufius . . . pacis commoda commemorat.* Sall. Cat. 52[11] *Hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat?* (cfr sine dativo Ep. V: 15[4] *Hic tu me abesse miraris,* VII: 13[1] *Hic tu me etiam insimulas,* sim.). — in Verr. III: 91[213] *Tu mihi . . . istius audaciam defendis?* II: 10[26]. pro Mur. 6[13]. 35[74]. pro Scaur. 8[17]. — Parad. Stoic. 36 *An ille mihi liber, cui mulier imperat, cui . . .?* in Cat. II: 5[10] *Qui mihi accubantes in conviviis . . . eructant sermonibus suis caedem bonorum.* 2[4] *Utinam ille omnes copias eduxisset! Tongilium mihi eduxit.* in Verr. I: 60[156] *Is mihi etiam queritur, quod . . .* pro Mur. 32[67] *Quare . . . tolle mihi e causa nomen Catonis.* 9[21]. — Liv. praef. 9. II: 29. XXIV: 38[7], al. — Ter. Eun. 1053. Ad. 276 (*nobis*).[1]

Haec et id genus alia si quis sobrio iudicio perpenderit, haec duo concedat necesse est, in eo non offendendum esse, quod huic sententiae: *Haec videntur Ciceroni ultima esse,* Dativus ethicus insuper additur, et hoc ipso *mihi* ἦθος quoddam orationi afferri. Ac percommode accidit, quod Brutus ipse suae causae defensor exstitit, qui paulo supra § 2 sic scripsit: *Sustinuisse mihi gloriatur bellum Antoni togatus Cicero noster! Quid hoc mihi prodest, si merces Antoni oppressi poscitur in Antoni locum successio?* Itaque

[1] De ep. ad Qu. fr. III: 1[7] *De Cicerone . . . Atque utinam mihi his diebus in Arpinati, quod et ipse cupierat et ego non minus, mecum fuisset!* subdubito: *mihi* Ω excepto E, Tyrr.-Purs., Purs.: om. E, vulg.; nam et color orationis aliquid differt a ceteris exemplis, et inter *-m* et *hi-* facillime oriri potuit *mihi;* et tamen satius existimo a librorum scriptura emendanda abstinere.

eo quoque loco, ex quo digressi sumus et vagati, Brutum id scripsisse, quod libri testantur, nobis persuasum est.

---

ad Brut. I: 18[3] *Maximo autem, cum haec scribebam, afficiëbar dolore, quod, cum me pro adulescentulo ac paene puero res publica accepisset vadem, vix videbar, quod promiseram, praestare posse. Est autem gravior et difficilior animi et sententiae . . . pro altero quam pecuniae obligatio. Haec enim solvi potest . . .; rei publicae quod spoponderis, quem ad modum solvas, si is dependi facile patitur, pro quo spoponderis?*

Hunc locum recte et intellexit et interpretatus est Becherus Mus. Rhen. XXXVII (1882) p. 593 sq. Medicei scripturae *si is dependi f. p.* defensor; quod editorum iudicio non probari, valde miror. Primum igitur constat, de sponsione agi, qua se paucis mensibus ante pro Octavio obstrinxerat Cicero or. in M. Ant. V: 18[50]: *Omnes habeo cognitos sensus adulescentis . . . Audebo etiam obligare fidem meam . . . Promitto, recipio, spondeo, p. c., C. Caesarem talem semper fore civem, qualis hodie sit, qualemque eum maxime esse velle et optare debemus.* V. Tyrr.-Purs. ad h. l. Sed paulo post magno cum dolore intellexit, adulescentem illum exspectationem suam frustratum esse; itaque timet, ne se res publica, ut creditor sponsorem, appellet, et desperat se, quae spopondisset, praestare posse; cfr etiam in ep. ad Oct. mense Ianuario data (ap. Non. p. 371: 7) *Tu si meam fidem praestiteris, quod confido te esse facturum.* Porro manifestum est, verbum, quod est *dependere*, de sponsore dici, ut ep. I: 9[9] *nisi cum Marco fratre diligenter egeris, dependendum tibi est, quod mihi pro illo spopondisti;* ad Att. I: 8[3]; *facile patitur* autem sensu idem est atque *leviter fert, non magno opere laborat.* Igitur totum hoc *si is dependi* (sc. a sponsore) *facile patitur* de homine dicitur alterius sponsione obligato, sed qui fide et religione plane neglecta sponsorem destituat.

Quae cum ita sint, reicienda est Muelleri coniectura *si is de⟨bitum non de⟩pendi facile patitur*, qua sententiam non satis exprimi apparet (etsi vir ille doctissimus sensum verborum *facile patitur* recte perspexit); tota via autem ceteri editores errarunt, qui Ciceroni hoc obtruserint: *nisi is dependi f. p.*, quod Tyrr.-Purs. sic vertunt: 'unless he is ready to allow payment to be made'. — Illud extremum est, ut ostendam, Medicei memoriam eandem esse atque archetypi Ω : *si is* MΣ (sed *is* om. N) : *is* (om. *si*) bd : *nisi is* ms, Iens., c.

---

ad Qu. fr. I: 1[1] *Etsi non dubitabam, quin hanc epistulam multi nuntii, fama denique esset ipsa sua celeritate superatura,. . . . tamen existimavi, a me quoque tibi huius molestiae nuntium perferri oportere.*

Quod Ernestius consuetudine se Ciceronis observata confitetur suspicari, post *nuntii* excidisse velut *multorum litterae*, quid de ea coniectura iudicandum sit, paulisper deliberemus, cum praesertim editores, licet additamentum illud in textum non receperint, de tota re addubitare aut tradita non satis apte defendere videantur.

Primum igitur constat, vocem *denique*, quae hanc dubitationem movit, trium pluriumve vocabulorum seriem claudere solere; est tamen, ubi bina componantur addito *denique* posteriori membro, si in hoc vertitur oratio tamquam in extremo. Sed exemplorum, quae afferri solent orationis bimembris (v. Hofm.-Andres. ad Ep. IV: 14[1], Weissenb. ad Liv. IV: 56[11]), paulo diversa est natura, nam anaphora excusantur alia, ut or. in Pis. 20[45] *nemo bonus, nemo denique civis*, de re p. II: 26[48] *Quis enim hunc hominem rite dixerit, qui sibi cum suis civibus, qui denique cum omni hominum genere nullam iuris communionem, nullam humanitatis societatem velit?* Parad. St. § 39. Verr. II: 23[55]. — Liv. IV: 56[11] *non civium, non denique hominum numero.* V: 6[12]. XXIII: 13[1]. — Plin. paneg. in Traian. 66[5], sim.; alia *aut* particula addita, ut ad Att. X: 8[4] *Quod maius scelus aut tantum denique?* Ep. V: 16[3] *minus miseri, quam si eosdem bona aut denique aliqua re p. perdidissent.* X: 33[5]. — Liv. VIII: 21[6]. Caes. b. g. II: 33[2]. Neque video, cur Muellerus *denique* suspectum habeat Ep. VII: 1[4] *Nam me cum antea taedebat, cum et aetas et ambitio me hortabatur, et licebat denique, quem nolebam, non defendere, tum vero hoc tempore vita nulla est.* Aptiora igitur ad comparandum sunt haec: Ep. XIII: 6[4] *Id facies, si omne genus liberalitatis . . . non modo re, sed etiam verbis, vultu denique exprompseris.* ad Qu. fr. II: 3[2] *cum omnia maledicta, versus denique obscenissimi in Clodium et Clodiam dicerentur* (ubi *etiam* in M[2] al. E pro *denique* substitutum nihil est nisi interpretatio, quae genuinam vocem extrusit). Or. pro Quinct. 16[51] *Haec in homines alienissimos, denique inimicissimos viri boni faciunt;* v. Hand. Turs. II: 268. Quibus quartus accedit hic locus, unde profecti sumus.

Ac ne quis in ea re haereat, quod Cicero Ep. III: 11[1] sic scripsit: *certior factus eram litteris, nuntiis, fama denique ipsa*, hoc monitum velim, solere illum quidem terna componere (cfr II: 8[1]

scribent alii, multi muntiabunt, perferet multa etiam ipse rumor, ad Att. IV: 1[4] *aut scripta a tuis aut etiam nuntiis ac rumore perlata,* al. sim.), nonnumquam tamen satis habere bina inter se opponere, ut ad Qu. fr. III: 3[1] *nihil ex istis locis non modo litterarum, sed ne rumoris quidem affluxit.* ad Brut. II: 1[1] *tristes... litterae nuntiique afferebantur.* Ep. XVI: 25 (quam scripsit Tironi Cicero filius) *Nam etsi de re p. rumoribus et nuntiis certior fio..., tamen de quavis minima re scripta a te ad me epistula semper fuit gratissima.* — Nihil igitur causae afferri potest, cur de bimembri asyndeto *multi nuntii, fama denique* dubitandum sit.

---

ad Qu. fr. I: 1[3] *Ac si te ipse vehementius... excitaris,... si omnem tuam mentem, curam, cogitationem ad excellentem in omnibus rebus laudis cupiditatem incitaris, mihi crede, unus annus... laetitiam nobis... afferet.* — *ad excellentem* M[3]bdΣ, vett. : *et de excellentem* M (sed *de* expunxit M[1], ut videtur; *et* induxit M[3]) : *et excellentem* M[1]m, c : *et excellentiam* s : *ad excellentiam* Iens. : *ad excellentis* Ern., recc. edd.

Quod nostrae aetatis viri eruditi adiectivum *excellens* ad ipsam laudem aptius quadrare quam ad laudis cupiditatem sibi persuaserunt, non dubium est, quin tradita intacta relicturi fuerint, si de consensu plurimorum codicum constitisset. Accedit, quod ipsa *laudis cupiditas* eodem iure *excellens* dici potest, quo Cicero verbi gratia in M. Antonium or. Phil. XI: 9[23] *Incitare et inflammare tuum istuc praestantissimum studium... debemus* scripsit, ut nihil sit, quod attributa permutata esse credamus.[1] Quod si quis nihilo tamen secius de structura verborum dubitabit, largiar, quod non necesse est; hoc tamen teneo, *ad excellentem laudis cupiditatem*, si quis pro eo, quod est *ad excellentis laudis cupiditatem*, positum esse sibi persuasit, non absurde aut inusitate dictum esse, si quidem Cicero etiam alias solet structuras variare; velut ad Att. I: 16[8] Clodium se fregisse in senatu *cum oratione perpetua plenissima gravitatis tum altercatione huiusmodi* amico scripsit, paulo post II: 1[5] haec: *Quid quaeris? hominem petulantem* (i. e. Clodium) *modestum reddo non solum perpetua gravitate orationis sed etiam hoc genere dictorum.* Redeamus igitur ad codicum

---

[1] De hac figura copiose egit O. Hey, 'Zur Enallage Adiectivi', in Arch. Woelfflini t. XIV p. 105 sqq.

M^3bdΣ memoriam iniuria addubitatam, cum nihil dubitationi habeat.

---

ad Qu. fr. I: 1^{32} *Nam esse abstinentem, continere omnes cupiditates, suos coërcere, iuris aequabilem tenere rationem, facilem t in rebus cognoscendis, in hominibus audiendis admittendisque praebere praeclarum magis est quam difficile.*

Qua re factum sit, ut editores recentiores *facilem se . . . praebere* imprimi iusserint omnium codicum memoria (*te*) spreta, no possum cogitando assequi, nisi hoc suspicor, sic eos sibi visos esse concinnitatem cum eo, quod paulo ante legitur: *suos coërcere,* op time restituere; qua quidem in re non modo non mendum sustu lerunt sed ipsum Ciceronem iniustis praeceptis coërcuerunt.

Primum enim constat, apud omnes fere scriptores in incerta subiecti designatione non solum secundam personam coniunctiv poni, sed etiam tertiam indicativi vel coniunctivi, si ex orationis tenore facili opera intellegitur, de quo agatur; velut Cato ille in praeceptis suis verba in singulari numero saepius posuit de eo cui opus mandatum erat, ubi editores pluralem numerum vel se cundam personam singularis substituere solitos esse Keilius p. 3 ad 11^2 ostendit, velut c. 75: *Libum hoc modo facito. Casei p. I bene d i s t e r a t in mortario* (*disteras* Pontedera p. 65). Similia sun haec Tulliana: de Or. I: 8^{30} *neque vero mihi quicquam praestabiliu videtur quam posse dicendo tenere hominum mentes, allicere volun tates, impellere quo v e l i t, unde autem v e l i t deducere*, ubi priores correxerunt (*velis*). Ac. I: 1^2 *Minime vero, inquit ille; intemperan tis enim arbitror esse scribere, quod occultari v e l i t.* Tim. 2^6 *Atqu illum quidem quasi parentem huius universitatis invenire difficile et, cum iam i n v e n e r i t, indicare in vulgus nefas* (cfr Plasbergius ad h. l. et ad Par. Stoic. § 46. Muellerus ad Or. in Pis. 31^{78}) — Exempla secundae personae coniunctivi afferre supersedeo; coll Lebretonius, 'Études sur la langue et la grammaire de Cicéron' p. 349 sqq., Blasius, 'Studien und Kritiken', II: 5 sqq.

Sequitur, ut nonnullos locos inspiciamus, ubi Cicero in sen tentiis universe dictis sermonem ita variavit, ut secunda persona tertiam excipiat. De Leg. II: 18^{46}*tractabo ius civile, sed ita, locu ut ipse notus sit, ut non difficile sit, qui modo ingenio p o s s i t mo veri, quaecumque nova causa acciderit, eius tenere ius, cum s c i a s a quo sit capite repetendum* (ubi conferas doctam annotationem Vahleni). — De Off. II: 14^{50} *Duri hominis videtur periculum capi*

tis inferre multis: id cum periculosum ipsi *est, tum etiam sordidum ad famam committere, ut accusator* nominere. — De Off. II: 11[39] *Omnis ratio atque institutio vitae adiumenta hominum desiderat. imprimisque ut* habeat (sc. is, qui instituit), *quibuscum* possit *familiares conferre sermones: quod est difficile, nisi speciem prae te boni viri* feras. Cfr etiam de re p. II: 4[9] *Sed tamen in his vitiis inest illa magna commoditas, et, quod ubique genitum est, ut ad eam urbem, quam* incolas, possit *adnare, et rursus ut id, quod agri efferant sui..., portare possint ac mittere.* Atque haud scio an sic recte explicaverit Plasbergius Luc. 12[39] *Omninoque ante videri aliquid, quam* agamus, *necesse est eique, quod visum sit,* assentiatur (sc. is, cui aliquid visum erit), ubi Lambinus *assentiri* maluit, alii *assentiamur;* pro Clu. 58[159].

Iam ut ad eum locum, unde profecti sumus, revertamur, structuram editoribus probatam: *esse abstinentem, suos coërcere, facilem* se... *praebere,* omnibus numeris absolutam ac perfectam esse illam quidem nemo non videt et simillimam huic § 38: *moderari vero et animo et orationi, cum* sis *iratus, aut etiam tacere et tenere in* sua *potestate motum animi... est non mediocris ingenii.* De Or. III: 53[203]. Quam quo minus agnoscamus, nihil obstat nisi codicum auctoritas: *te* igitur, cum et a librorum testimonio et a consuetudine Tulliana satis vindicetur, restituendum esse putamus.

---

ad Qu. fr. I: 1[35] ...*potes etiam tu id facere, quod et fecisti egregie et facis, ut commemores, quanta sit in publicanis dignitas, quantum nos illi ordini debeamus, ut remoto imperio ac vi potestatis et fascium publicanos cum Graecis gratia atque auctoritate coniungas;* sed et ab *iis, de quibus optime tu meritus es, et qui tibi omnia debent, hoc petas, ut facilitate sua nos eam necessitudinem, quae est nobis cum publicanis, obtinere et conservare patiantur.* — *Sed et* MbdmENP (= Ω), c : *Sed* sGHPal. : *et* recc. edd. cum Faërno.

Haec mecum quo saepius reputo, eo aegrius a me impetrare possum, ut credam, *sed* spurium esse. Nam aut me omnia fallunt, aut huius loci eadem fere ratio est ac natura atque paragraphi 44: *in qua cavendum est ne, si neglegentior fueris, tibi parum consuluisse, sed etiam tuis invidisse videaris,* ubi *non solum* ante *tibi* insertum est in sO[2]; ad Att. III: 15[5] *Hic mihi primum meum consilium defuit, sed etiam obfuit.* Ep. XIII: 64[2]. Atque omnino, si gravius aliquid accedit, *sed etiam* (omisso *non solum*) haud raro idem fere valet atque *immo vero, quin etiam.* Porro neminem

offendere credo in *sed et* pro eo quod est *sed etiam* posito (d quo fusius egit Antonius, 'Studien zur lat. Gramm. u. Stil.' I: 5 sqq.), velut ad Att. XI: 23[3] *Memini omnino tuas litteras, sed e tempus illud.* ad Qu. fr. II: 4[3] *Sed et haec, ut spero, brevi inte nos communicabimus,* ubi *et* editoribus quibusdam suspectum egre gie tutatus est Sternkopfius Herm. XXXIX: 406. ad Brut. I: 5 *Existimo absentium rationem posse haberi; nam et factum est an tea* M¹Σ: *nam etiam* M²bdms, vulg. Haec igitur Cicero fratr suasisse videtur: Fac, ut publicanos cum Graecis coniungas: qui etiam ab eis (i. e. Graecis) petas velim, si opus erit, quod pr imperio iubere potes.

---

ad Qu. fr. I: 1[40] *Sed quoniam primus annus habuit de hac repre hensione plurimum sermonis, credo propterea quod tibi ... insolen tia ... intolerabilis videbatur, secundus autem multo lenior, quo et consuetudo et ... meae quoque litterae te patientiorem leniorémqu fecerunt, tertius annus ita debet esse emendatus, ut ne miniman quidem rem quisquam possit ullam reprehendere.*

Quod omnes codices praebent: *lenior* (*leuior* msP), quonian Madvigius, subtilissimus ille sermonis Tulliani iudex, hoc damnavi et *leviorem* (sc. *sermonem habuit*) scribi iussit (Adv. crit. III: 193) qua in re qui sibi assentirentur habuit (ut Becherum, 'Woch. f klass. Phil.' VI: 1228 ann.), quoniamque Wesenbergius, popularis eius, *lenior fuit* coniecit, non alienum esse arbitror memoriae codi cum patrocinium suscipere.

Primum igitur Madvigium graviter offendit ipsum adiectivum *lenior* ante *leniorem* brevi intervallo positum in hac praesertim epistula diligentissime elaborata: in quo ne quis haereat, satis erit ex hac ipsa epistula aliud idemque insignius exemplum afferre ... *te aliquantum negotii sustinere. Intellego, permagnum esse negotium .. sed memento, consilii me hoc esse negotium .. putare Quid est enim negotii continere eos, quibus praesis, si te ipse con tineas?* (§ 7). Iam vero figurarum, quae sunt *lenior* et *levior*, cum facillima sit permutatio, in codicum memoria acquiescendum esse puto, praesertim cum a significatione satis vindicari videatur.

Sed haec leviora: maiorem viris eruditis scrupulum iniecit quod *lenior* sic nude posuit optimus ille latinitatis auctor, ubi si non *leniorem* vel *leviorem* (sc. *sermonem habuit*), at tamen *lenior fuit* (sc. *annus*) exspectes, quo aptius cohaereant media cum pri mis. Qua quidem in re quantum licentiae dederit consuetudo,

documento est Tim. 6^{17}: *idque* (i. e. *globosum*) *ita tornavit, ut nihil efficere posset rotundius, nihil asperitatis ut haberet, nihil offensionis, nihil incisum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum, omnesque partes simillimae omnium, quod eius iudicio praestabat dissimilitudini similitudo;* ubi Perionio duce Baiterus, Muellerus, alii *simillimas* scripserunt, quos scite refutavit Plasbergius his verbis: '*simillimae* ferri potest post interposita illa p. 168,11 —169,1 (i. e. *nihil asperitatis . . . lacunosum*), ut haec adiungantur quasi scripserit *nihil asperitatis ut esset*'. Quid multa? Horum duorum locorum cum eadem sit ratio ac natura, alterum alteri praesidio esse apparet. Praeterea haec dicendi consuetudo apud Ciceronem latius patet, quam vulgo putant; v. exempla a Plasbergio ad parad. Stoic. § 44 congesta.

---

ad Qu. fr. I: 2^{3} *Atque hoc sic habeto* (*nihil tamen nec temere dicere nec astute reticere debeo), materiam omnem sermonum eorum, qui de te detrahere velint, Statium dedisse; antea tantum intellegi potuisse, iratos tuae veritati esse non nullos, hoc manumisso iratis, quod loquerentur, non defuisse.* — *tamen* Ω : *enim* M^{4}, c, vulg. : *iam* P — *velint* Ω, c : *vellent* Ern., vulg. — *veritati* Ω : *severitati* vett., vulg. : *virtuti* M^{4}.

In *tamen* ne quis haereat, oratio ita evolvenda est: 'etsi utrique nostrum ea molesta sunt, quae dicturus sum, tamen non magis dissimulare aut reticere oportet, quae certa sunt quaeque ipse audivi, quam falsis aut incertis rumoribus sollicitudinem ac dolorem tibi afferre.' — Itaque Cicero usitato more duas sententias ex aequo posuit, etsi alteram potuit particula notatam alteri subiungere, de qua re egit Madvigius ad Ciceronis de Fin. p. 35 (I: 5^{15}) allatis ep. III: 8^{7}, pro Mil. 13^{33}, de N. D. I: 9^{23}; cfr etiam ep. XI: 28^{5} (Matius): *Quod si aliter essem animatus, numquam, quod facerem, negarem, ne et in peccando improbus et in dissimulando timidus ac vanus existimarer,* ubi Hofmannus recte annotat: 'der Ton liegt ausschliesslich auf dem zweiten Gliede'. Atque eadem esset ratio sententiarum, si *enim* retineremus, quod nihil aliud esse apparet quam coniecturam alicuius hominis in particula *tamen* explicanda haerentis. Nam *tamen* saepenumero ita usurpari constat, ut cogitatione aliquid addendum sit, velut ad Att. V: 14^{1} *In provincia mea fore me putabam Kal. Sext. Interea tamen haec mihi afferebantur,* i. e. 'Quamvis nondum in provinciam venissem', Bootius. ad Qu. fr. III: 9^{3} Ἐν παρέργῳ· *de dictatore tamen actum adhuc nihil est,*

i. e. 'though everyone thought that things tended that way = after all', Tyrr.-Purs. Ep. II: 16^{2} *moveo non nullis suspicionem, velle me navigare: quod tamen fortasse non nollem, si possem ad otium:* 'der Verdacht ist unbegründet; trotzdem würde ich gehen, wenn...', Hofm.-Sternk. Cfr etiam Madvigius ad Ciceronis de fin. II: 10^{31}. Seyff.-Muell. ad Lael. 25^{95}. Idem cadit in locutionem *et tamen*, de qua egit Lehmannus Att. p. 194 sq.; de *sed* v. Hofm.-Andr. ad ep. VI: 6^{4}.

Quod editores Ernestio suasore quasi communi sententia statuerunt, aequabilitatis causa *vellent* scribendum esse, cum paulo infra sequatur imperfectum *loquerentur,* vereor, ut sibi et rei iudicatae satis constiterint, cum § 8 tradita aequo animo tulerint: *Statius mihi narravit, scriptas* (scil. epistulas) *ad te solere afferri, ab se legi, et, si iniquae sint, fieri te certiorem; antequam vero ipse ad te venisset, nullum delectum litterarum fuisse; ex eo esse volumina selectarum epistularum, quae reprehendi solerent.* Quid, quod in sententiis parallelis, ut aiunt, interdum variant tempora, ut ad Att. VIII: 12^{1}: *Huius autem epistulae non solum ea causa est, ut ne quis a me dies intermittatur, quin dem ad te litteras, sed etiam haec iustior, ut a te impetrarem, ut sumeres aliquid temporis* eqs.[1] Similia sunt Plautina haec: Bacch. 352 sq. *Ita feci, ut auri quantum vellet sumeret, Quantum autem lubeat reddere, ut reddat patri.* Pseud. 795 sq. *Quin ob eam rem Orcus recipere ad se hunc noluit, Ut esset hic, qui mortuis cenam coquat.*[2] — Quae cum ita sint, ad archetypi memoriam redeundum esse censeo ad Att. III: 1 *Cum antea maxime nostra interesse arbitrabar, te esse nobiscum, tum vero, ut legi rogationem, intellexi... nihil mihi optatius cadere posse, quam ut tu me quam primum consequare, ut, cum ex Italia profecti essemus..., tuo tuorumque praesidio uteremur,* ubi contra omnium librorum consensum recentiores editores Wesenbergi coniecturam (Em. Alt. p. 95) *consequerere* receperunt: nam *consequare* per se nihil habet, in quo offendas (cfr Lebretonius l. l. p. 256 sqq.), neque haerendum est in variatione temporum (cfr Lebretonius l. l. p. 262).

Restat, ut de voce *veritati* pauca addam, quam meo quidem iudicio speciosius quam verius emendarunt seduli critici. Nam § 5 (v. infra p. 127) iure ac merito severitatem Quinti vituperat, hic integritatem potius atque aequabilitatem fratris quibusdam homini-

[1] Lievenus 'Die consec. temp. des Cicero' p. 11 et 45. Madvigius ad Cic·is de fin. IV: 8^{20}. Lebretonius, 'Études' p. 248. Plasbergius ad Acad. I: 10^{35}.

[2] Cfr Bx.-Niem. et Lor. ad Mil. 131.

bus offensioni antea fuisse significat. Itaque eandem fere notionem agnosco atque verbi gratia in Verr. IV: 51[113] *Aguntur iniuriae sociorum, agitur vis legum, agitur existimatio veritasque iudiciorum*, ubi Halmius haec annotavit: 'Unparteilichkeit, Redlichkeit, dah. häufig mit *religio* verbunden: I, 3. III, 162; *vere ac religiose iudicare* I, 3; V: 130 *per vestram fidem et veritatem*'. — pro Rosc. Am. 30[84] *verissimum et sapientissimum iudicem.* Atque negotia in administranda Asia iurisdictione maxime sustineri Cicero ipse scripsit ad Qu. fr. I: 1[20]; de veritate molesta cfr Lael. 24[89]: *Sed nescio quo modo verum est, quod in Andria familiaris meus dicit: Obsequium amicos, veritas odium parit.* V. etiam Otto, 'Sprichw.' p. 368.

---

ad Qu. fr. I: 2[5] Cicero haec scripsisse videtur: *Tua autem quae fuerit cupiditas tanta, nescio, quod scribis cupisse te, quoniam Smyrnae duos Mysos insuisses in culleum, simile in superiore parte provinciae edere exemplum severitatis tuae et idcirco Zeuxim eligere omni ratione voluisse,* [ultra] *quem adductum in iudicium fortasse an dimitti non oportuerit, conquiri vero et elici blanditiis, ut tu scribis, ad iudicium necesse non fuit.*

eligere Ω excepto M[4] : *elicere* M[4] (*g* del., *c* superscr.), vulg. — *ultra* M[1]ms : om. M corr. (M[3]) bd Σ, c : *ultro* ed. Rom. — *fortasse an* M[1]bdm[1]GHNO Pal.(= Ω) : *fortasse* M[4](*an* lineis del.) m[2] (*an* expunct.)sEP, c — *oportuerit* Ω, c, sed *oportuerat* M[4] (*-i-* linea del., *a* supersc.): *fortasse dimitti non oportuerat* vulg.

Primum igitur ut pusilla quaedam ac leviora absolvamus, nihil obstare video, quo minus archetypi memoriam *eligere* restituamus, si quidem haec: *Zeuxim eligere omni ratione voluisse,* sensu idem fere sunt atque *Z. potissimum* vel *praeter ceteros eligere voluisse;* ac fieri sane potest, ut M[4] voce *elici* paulo infra posita, ubi aptius quadrat, deceptus sit. Porro neminem fugit, *ultra* ferri non posse, quod editores aut in *ultro* mutarunt aut omiserunt; et codicum quidem ratio suadet (v. pp. 21. 83 sq.), ut vocem illam tollamus.

Sequitur deinceps, ut de locutione ea, quae est *fortasse an dimitti non oportuerit,* pluribus disseramus: nam *fortasse d. non oportuerat,* quod in omnibus fere editionibus vulgatum est, coniecturae instar habendum esse ideoque removendum manifestum est. Qua quidem in re a coniunctivo *oportuerit* ut proficiscamur, res ratioque suadet; illud magis ambiguum videtur, quid adverbio

fortasse an faciendum sit. Nam si hoc scripsisset Cicero: *forsitan dimitti non oportuerit,* usitato more scripsisset,[1] velut in or. pro Sex. Rosc. 11[31] *Et forsitan in suscipienda causa temere ... fecerim.* Brut. 13[52] *Sed de Graecis hactenus; et enim haec ipsa forsitan fuerint non necessaria.* in Verr. II: 32[78]; opponuntur inter se enuntiata Tusc. disp. III: 17[36] *quae* (i. e. fortuna) *pervellere te forsitan potuerit et pungere, non potuit certe vires frangere.* Quin etiam coniunctivus perfecti ipse per se vim potentialem, quam vocant, induere potest, ut ad Att. VII: 1[6] *Sed haec fuerit, ut ait Thucydides,* ἐκβολὴ λόγου *non inutilis*, ubi *fuerit* idem fere significat atque *fuit fortasse* ad Att. I: 20[2] *Verum tamen fuit ratio mihi fortasse ... non inutilis,* etsi talia admodum rara sunt. — Quod Schuetzius, Kayserus, alii *fortasse d. non oportuerit* scribendum esse suspicati sunt, hoc magis dubium est, si quidem Elmero fides habenda est, apud optimos scriptores *fortasse* indicativo, *forsitan* coniunctivo applicari (de locutione ea, quae est *fortasse videatur*, cfr Elmerus 'Studies' p. 185 sqq.); itaque *fortasse d. non oportuerat* vel potius *oportuit* (*oportebat*) exspectes. — *Fortasse an,* quod ex duobus illis quodam modo conflatum est, si ab hoc loco discesseris, Cicero non usurpavit, Accius semel, trag. 122 R.: *Fortasse an sit quod vos hic non mertet metus,* Varro saepius, ut R. R. III: 16[10] *hoc dico, quod fortasse an tibi satis sit,* de L. L. VIII: 7 *illi ... fortasse an in quibusdam sint lapsi;* in enunt. irreali VII: 40, R. R. III: 6[1]; Sis. fr. 49 P: *fortasse an confecisset.* Gellius, ut solet vetustatis colore orationem tingere, locutionem ab usu sermonis longo tempore intermissam revocavit N. A. V: 14[3] *fortasse an sit*, XI: 9[1] *f. an dixerit;* opponuntur inter se enuntiata VI: 3[53] *Eaque omnia distinctius numerosiusque fortasse an dici potuerint, fortius atque vividius potuisse dici non videntur;* in enunt. irr. XVII: 5[3], cum indicativo *f. an concessero* XIX: 8[5]. — Denique *fortassis* vocabulo nonnumquam usos esse constat et alios scriptores, ut Plaut. (Asin. 493. Bacch. 671), Hor. (Sat. I: 4[131]), Brut. et Cass. (ep. XI: 3[3]), et Ciceronem (ep. ad Qu. fr. II: 2[1] *fortassis non amittam* Ω: *fortasse n. a.* Iens.; pro Clu. 71[201]; v. annot. Muelleri ad h. l.); ac fieri potest, ut saepius etiam usurpaverint quam ex editionibus et libris manu scriptis concludere licet: Charisius quidem (p. 185[14] K.) testatur

---

[1] Sjöstrandius, Quibus temporibus modisque *quamvis, nescio an, forsitan,* sim. voces utantur, p. 18 sqq. Elmerus, 'Studies in Lat. Moods and Tenses' p. 185. 'On the subj. with *forsitan*' (Transact. Am. phil. Ass. XXXII; 205 sqq.). Blasius, 'Der Potential des Perf. mit Vergangenheitsbed. im Lat.', Philol. LXIII (1904): 636 sqq. Handius, Turs. s. v.

haec: 'dicimus enim *forsan*, *forsitan*, *fortasse*, *fortassis;* et consuetudine quidem obtinuit, ut *fortasse* libentius diceretur quam *fortassis,* quoniam *fortassis* auribus nostris absurdius videtur'.

Iam ut ad propositum redeat oratio, mihi quidem non dubium est, quin merito ac iure Ciceroni restituatur, quod editores, ut pote qui codicum memoriam non satis compertam haberent, ei abiudicarunt; nam si omnia, quae Cicero semel admisit, corrigere institueremus (velut *novus* sescenties usurpavit, *novissimus* nusquam nisi Or. pro Q. Rosc. com. 11^{30}; sed nihil attinet exempla congerere), non modo operam frustra contereremus sed etiam risum moveremus. Sic igitur censeo, locutionem, quae est *fortasse an dimitti non oportuerit,* cum omnium fere codicum testimonio et consuetudine aequalium Ciceronis satis commendetur, recipiendam.

---

ad Qu. fr. I: 3^2 *Nam quod ad te pueri sine litteris venerunt, quoniam vides non fuisse iracundiae causam, certe pigritia fuit et quaedam infinita vis lacrimarum et dolor.* — *iracundiae* Ω,c — *causam* Σ,c : *causa* Δ — *dolor* M^1M^3GHNO^1 Pal. : *dolorum* M^2bdms EO^2P,c, vulg.

Quod nobis semper propositum fuit, ut ea, quae aut omnium aut optimorum librorum testimoniis comparibusque exemplis satis vindicari viderentur, contra emendandi cupidos homines defenderemus, id hoc quoque loco facere in animo est. Nam quod Lambinus, ut erat diligens et fortasse nimius in sermone Tulliano ad regulam et lineam, ut aiunt, exigendo, Medicei scripturam *iracundiae causa* (= Δ) ita correxit, ut fieret hoc: *iracundiam causam,* quod omnibus fere editoribus probatum est, nimium correxit. Equidem a codicum Σ lectione *iracundiae causam* proficiscendum esse censeo; nam *causa* (lineola nasali omissa in Δ) sensu caret, *iracundiae* vero in Ω fuisse consensus omnium codicum indicio est. Restat, ut videamus, num defendi possit genetivus; nam accusativum *iracundiam* quominus agnoscamus nihil aliud impedimento est, nisi quod nullo codicum subsidio nititur (cfr Lael. 2^8 *quod non affuisses, valetudinem respondeo causam, non maestitiam fuisse,* sescenta similia). Sed ne genetivum quidem solitariam vitam agere ex his licet concludere: de lege agr. II: 14^{36} *Duae sunt huius obscuritatis causae, una pudoris, altera sceleris.* — de Or. II: 15^{63} *ut causae explicentur omnes vel casus vel sapientiae vel temeritatis.* — in Verr. IV: 51^{113} *ut, quaecumque accidant incommoda, propter eam causam sceleris istius evenire videantur.* —

pro Clu. 43[120], Div. in Caec. 18[59], de Off. II: 5[16]; Caes. b. c. III: 72[4]. Imprimis notanda est structura haec Ac. I: 2[6] *Quid est enim magnum, cum causas* r e r u m *e f f i c i e n t i u m sustuleris, de concursione fortuita loqui?* cum quo loco Faber apte comparat Top. 14[58] *proximus est locus rerum efficientium, quae causae appellantur.* — Ep. XVI: 21[7] *Excusationem a n g u s t i a r u m tui temporis accipio.* — Quod si quis alterum exemplum desiderat βραχυλογίας illius, qua factum est, ut causae notio bis animo obversetur, semel exprimatur (ut de N. D. II: 67[168] *mala consuetudo est contra deos disputandi,* de Off. III: 2[6] *labore contendere, si discendi labor est potius quam voluptas,* Luc. 33[106], sim.), Or. in M. Antonium I: 11[28] satis erit attulisse: *Nec erit iustior in senatum non veniendi morbi causa quam mortis* (cfr ad C. Herennium II: 13[20] *cui morbus causa est*). Itaque codicum Σ memoria omni suspicione caret.

Quod *dolor* potius scribendum esse censui quam *dolorum,* id ratione codicum factum est, quoniam O[1] Pal. cum GHN consentientes testimonio sunt, in Σ sic scriptum fuisse, quocum M[1] etiam congruit (v. p. 78); neque potest quemquam fugere, quam proclivis fuerit huius vocis ad prioris terminationem accommodatio.

---

ad Qu. fr. I: 3[4] ..*te hortor et rogo . . ., ut Romam protinus pergas et properes. Primum enim te* p r a e s i d i o *esse volui, si qui essent inimici, quorum crudelitas nondum esset nostra calamitate satiata.*

Quod Madvigius Adv. crit. III: 194 *te ⟨in⟩ praesidio esse volui* scribi iussit, qua in re, qui sibi obtemperarent, habuit (ut Tyrr. et Purs.; etiam Muellerus emendationem illam probabilem ducit), id meo quidem iudicio supervacaneum est, cum utramque structuram, *praesidio esse* nullo addito dativo personae et *in praesidio esse,* nullo, quod sentiatur, aut minimo saltem sensus discrimine adhibuerint Cicero aliique eius aetatis scriptores. Velut Or. pro Mil. 26[71] haec scripsit: *Quod vero in illo loco atque illis publicorum praesidiorum copiis circumfusus sedet, satis declarat, se non terrorem inferre vobis . . . sed praesidio esse, ut intellegatis . . .,* etsi fieri potest, ut *vobis* e superioribus audiatur. Sed magis etiam haec res illustratur consuetudine eorum, qui de re militari scripserunt — atque ipsius Ciceronis verba paulo infra § 5 *Nunc, si potes, id quod ego, qui tibi semper fortis videbar, non possum, erige te et confirma, si qua subeunda dimicatio erit,* unde locutionem illam sumpserit, satis indicio sunt —, velut Caes. b. c. III: 99[3]

namque etiam cohortes, quae praesidio in castellis fuerant, sese Sullae dediderunt (sed II: 20[2] variata structura *cohortium, quae essent ibi in praesidio,* scripsit); neque aliter *praesidio* vel *in praesidio relinqui* dicitur: I: 69[4] *omnes copiae paucis praesidio* (scil. castris et impedimentis) *relictis cohortibus exeunt.* III: 95[2]; b. G. VI: 33[4] *ei legioni, quae in praesidio relinquebatur.*

---

ad Qu. fr. II: 1[3] *Tum Clodius rogatus diem d i c e n d o eximere coepit.* — *dicendo* M corr. (M[4])sO[2], Iens.,c, edd.: *dicendi* Ω praet. s; C.

Quod M[4]s correxerunt mendumque sustulerunt una litterula mutata, fieri sane potest, ut verum recuperaverint; cfr or. pro Tull. 3[6] *non vereor, ne dicendo dies eximatur.* Sed haud scio an ipse ille genetivus *dicendi* indicio sit, vocem aliquam intercidisse, id quod saepius factum esse videmus, etiamsi nulla perspicua est causa defectus (de singulorum librorum lacunis v. pp. 13, 18, 65; in Ω multa exciderunt, velut ad Att. V: 11[1] *poterit;* II: 9[1] v. g. *elicerem*). Itaque veri simile mihi videtur, Ciceronem scripsisse *dicendi* ⟨*calumnia*⟩ vel ⟨*calumnia*⟩ *dicendi*, ut in ep. ad Att. IV: 3[3] eodem fere tempore missa: *Metellus calumnia dicendi tempus exemit;* cfr etiam ad Qu. fr. II: 2[3] *per obtrectatores Lentuli calumnia extracta est* (scil. *res*). Ep. I: 4[1] *Res ab adversariis nostris extracta est variis calumniis.*

Atque haud scio an simili remedio utendum sit ad Qu. fr. I: 1[16], ubi nunc vulgatur: *Quos* (i. e. Graecos) *ego universos adhiberi liberaliter, optimum quemque h o s p i t i o a m i c i t i a q u e coniungi dico oportere; nimiae familiaritates eorum neque tam fideles sunt* eqs., cfr de Fin. III: 2[8] *vir mecum et amicitia et omni voluntate sententiaque coniunctus,* de prov. cons. 17[40]. Sed cum in omnibus libris *amicitiaeque* sit, videndum est, ne exciderit substantivum aliquod velut hoc *officiis;* cfr enim ep. XIII: 32[2] *coniunctos vetustate, officiis, benevolentia;* 43[1]; XIV: 4[2] *non deductus est, quo minus hospitii et amicitiae ius officiumque praestaret.* V: 17[3] *omnibus officiis amicitiae diligenter a me sancteque servatis;* atque apud posteriores iuris consultos locutiones, quales sunt *ex officio amicitiae gerere negotium impuberis, ex officio atque amicitia mandatum originem trahit* usitatae sunt. Itaque Ciceronem scripsisse suspicor: *optimum quemque hospitio amicitiaeque* ⟨*officiis*⟩ *coniungi dico oportere.* V. etiam Liv. I: 34[12].

---

ad Qu. fr. II: 3[1] *C. Cato legem promulgavit de imperio Lentuli abrogando. Vestitum filius mutavit.* — *Lentuli* Ω,c : *Lentulo* Man., vulg.

Codicum me scripturae contra tot tamque eruditos editores patrocinari — praeter Mommsenium, 'Strafrecht' I: (3 ed.) p. 629 ann. 4, neminem vidi *Lentuli* retinere — non dubito, quin multi admiraturi sint; nemo enim est, quin sciat, Ciceronem scripsisse velut de Off. III: 10[40] *Collatino collegae Brutus imperium abrogabat.* Brut. 14[53]. Verr. II: 57[140] *Si tibi magistratum abrogasset;* Liv. V: 11[13] *collegis abrogatum imperium.* I: 59[11]. Illud tamen videntur editores aut non attendisse aut obliti esse, in formulis, quales sunt *legem promulgare, ferre; agere de,* sim., genetivum sollennem esse atque usu tritum; cuius structurae ex Livio haec affero exempla — apud Ciceronem enim, si ab hoc loco discesseris, talia deesse videntur —: XXII: 25[10] *se laturum fuisse de abrogando Q. Fabi imperio.* XXVII: 20[11] *et iam de imperio abrogando eius agebat, cum* . . . 20[12] *nec de imperio eius abrogando ageretur.* 21[4] *ut non rogatio solum de imperio eius abrogando antiquaretur.* XXIX: 19[6] *ut de imperio eius abrogando ferrent ad populum.* — Quid causae fuerit, cur in eiusmodi formulis genetivum dativo praetulerint, viderint doctiores:[1] de ipsa re cum satis constet, Ciceroni restituamus, quod ei editores aliorum inventis magis faventes quam re explorata ipsi iudicantes nimis diu abrogarunt.

---

ad Qu. fr. II: 4[1] (agitur de absolutione Sesti): *Illud, quod tibi curae saepe esse intellexeram, ne cui iniquo relinqueremus vituperandi locum, qui nos ingratos esse diceret,* . . . *scito hoc nos in eo iudicio consecutos esse, ut omnium gratissimi iudicaremur* : *nam defendendo moroso homine cumulatissime satis fecimus et, id quod ille maxime cupiebat, Vatinium* . . . *concidimus dis hominibusque plaudentibus.* — *nam* MbdmEGNOP(= Ω) : *nam in* sHPal.

Haec in libris ita tradita cur in vituperationem venerint, non intellego (*homini* edd. cum O. M. Muellero); ex ipsius enim sermonis contextu ac tenore apparet, hoc potius voluisse Ciceronem dicere, se Sestio defendendo exspectationi hominum satis fecisse (velut conferas in alia re ad Qu. fr. II: 3[2] *ne in Pompeio defendendo animos bonorum virorum offenderem*); v. etiam ep. ad Qu. fr. II: 3[5].

[1] 'Dieser Genitiv der Person . . . empfiehlt sich im Interesse der Deutlichkeit und des Wohllauts der Rede bei dem Gerundivum, z. B. Liv. 22, 25, 10', Krebsius-Schmalzius Antibarb. I: p. 51.

Neque debuerunt in verbo, quod est *satis facere,* absolute prolato haerere, quoniam et Cicero ad Att. II: 14[2] scripsit *Sed tamen satis fiet a nobis, neque parcetur labori,* et alii eiusdem aetatis scriptores eadem consuetudine dicendi utebantur, velut Plancus Ep. X: 9[3] *Ipse, si ab Lepido non impediar, celeritate satisfaciam.* Cfr Lehmannus, Quaest. Tull. p. 18. V. infra ad Att. VII: 8[4].

---

ad Qu. fr. II: 6[2] Marcus laetitia exsultans, quod Quintum fratrem ex Sardinia revehi et iam iamque adventare audierat, postquam suo puerorumque nomine iussit advolare, hanc epistulae clausulam imponit: *Illud scilicet*: *cenabis, cum veneris.* Ubi multi viri eruditi, quo fratrem Cicero invitet, audiri non posse consentientes varia supplerunt, velut *mecum* vel *apud me (apud nos)* Wesenb. Em. Alt. p. 67, *nobiscum* vel *cum tuis apud me* Lehm. Quaest. Tull. p. 106, 'Jahresber.' in 'Zeitschr. f. d. G.W.' 1888 p. 282, *nobiscum* Bootius Obs. crit. p. 34, collatis ad Qu. fr. II: 5[3], III:1[19], ad Att. II: 2[3], IV: 12, Ep. XVI: 21[3]; Bitschofskius in censura Quaestionum Tull. (Ann. gymn. Austr. 1886 p. 423) nihil opus esse addito contendit. Qui cum rationem, cur tradita integra relinquenda censeat, non reddiderit, haud alienum videtur codicum memoriam defendere; video enim novissimos quoque editores in re minime dubia etiamnunc haesitare.

Ac primum quidem hoc apparet, de cena adventicia (Suet. Vit. 13, Petron. 90[5]) agi, quam maiorum more Tullius fratri dare promittit, ceteris locis, quos comparari iusserunt viri eruditi, non item, ad quos alia eiusdem generis complura addere possum, velut Ep. I: 2[3] *casu apud Pompeium cenavi.* Itaque potius conferendum erat ad Att. IV: 19[2] *Quo die ad me venies* (scil. ex Asia), *tu*, *si me amas, apud me cum tuis maneas.* Sed in eiusmodi invitationibus, quod per se satis intellegebatur, non opus fuisse definite dicere vel haec Plautina documento sunt, ubi locus aut designatur aut auditur:

a. Truc. 359 Din. *Salva sis, Phronesium.* Phron. *Salve. hicine hodie cenas, salvos quom advenis?* Most. 1129 *quom advenis, Theopropides, Peregre, gaudeo. h i c a p u d n o s hodie cenes* : *sic face.*

b. Bacch. 536 *Salvos sis, Mnesiloche.* Mnes. *Salve.* Pist. *Salvos quom peregre advenis*, *Cena detur.* Mnes. *Non placet mihi cena, quae bilem movet.* Epid. 8 Ep. *Di dent quae velis. Venire salvom gaudeo.* Th. *Quid ceterum?* Ep. *Quod eo assolet* : *Cena*

tibi dabitur. Th. *Spondeo* — Ep. *Quid?* Th. *Me accepturum, si dabis.* Truc. 127. — Bacch. 185 *Hospitium et cenam pollicere, ut convenit, Peregre advenienti: ego autem venturum adnuo.* Poen. 1151 *Patruo advenienti cena curetur volo.* Bacch. 94, 101. Neque intellego, cur Ciceroni eadem libertas variandi sermonis, praesertim in re minime dubia, abiudicanda sit.

Atque haec loquendi consuetudo latius etiam patet, si quidem Cicero alias saepe adverbia loci, temporis, modi omisit, quae facile audiuntur, velut ad Att. VIII: 11 B[2] *veni Capuam ad Nonas Februar. Cum fuissem triduum, recepi me Formias* (*Ubi cum* L marg.). Parad. stoic. 22 *Una virtus est . . .; nihil huc addi potest, quo magis virtus sit, nihil demi, ut virtutis nomen relinquatur,* ubi forsitan quispiam *nihil hinc demi* exspectet; cfr Plasbergius ad l. Ep. I: 9[23] . . . *referoque ad mansuetiores Musas, quae me maxime sicut iam a prima adulescentia delectarunt* (*nunc* ante *maxime* inseri iussit Wesenbergius Em. alt. p. 3). Brutus in ep. ad Cic. I: 16[10] *liberum animum, quo et consul et nunc consularis rem p. vindicasti* (sed paulo infra *quia ille consul hunc consularem merito praestare videtur*). Cfr Lehmannus, Quaest. Tull. p. 64 sq. De *id* omisso egimus p. 116; cfr etiam p. 130 (*praesidio esse*); de ep. ad Att. III: 1, VII: 8[4] infra agam.

---

ad Qu. fr. II: 13[2] . . . *cursu corrigam tarditatem cum equis tum vero* (*quoniam ut scribis poema ab eo nostrum probari*) *quadrigis poëticis.* — *ut scribis* Ω : *scribis* c : *tu scribis* vulg.: *ut scribis . . . probatur* coni. Wes. Em. alt. p. 69.

Löfstedtio ('Spätlat. Studien' pag. 65) eo libentius assentior, *ut scribis* servandum esse, quod omnium codicum consensio id in Ω fuisse nunc indicio est. Neque tamen opus esse videtur ad structuram duriusculam ('wegen der Kürze des ganzen Ausdrucks etwas auffälliger') vindicandam posteriorum usum comparandi gratia adhibere, ut Epit. Rer. Gest. Alex. 56 *nam ut audio Macedonem esse,* quoniam ex Terentio, cuius elegantiam sermonis Ciceronem laudasse constat (ad Att. VII: 3[10]), et ex ipsius Ciceronis scriptis aeque notabilia proferri possunt, velut Ad. 648 *ut opinor eas non nosse te* (cfr Kauerus ad h. l.). De leg. I: 21[55] *Quia, si, ut Chius Aristo dixit, solum bonum esse, quod honestum esset, . . . discreparet . . .;* in Verr. IV: 19[40], de re p. I: 37[58]; longiore intervallo inter se distant sententia *ut* (*quem ad modum*) particula illata et infinitivus Phorm. 480 sq., de Off. I: 7[22], de Or. III: 1[3], fort. de N.D. II: 37[94].

Ex Varrone Krumbiegelius, de Varr. scribendi genere quaest. p. 33, haec duo attulit, R. R. II: 10[8], III: 6[6], ex Columella Vahlenus ('Sitzungsber. der Berl. Akad.' 1899 p. 279) IX: 2 annotavit: *sciscitari, fueritne mulier Melissa, quam Iuppiter in apem convertit, an ut Euhemerus poeta dicit, crabronibus et sole genitas apes.* — De simili consuetudine loquendi Graecorum egit Wackernagelius, 'Beitr. zur griech. Sprachkunde' p. 37.

Imprimis vero notandus est hic locus, ad Att. XII: 26[1] *Sicca, ut scribit, etiam si nihil confecerit cum A. Silio, tamen se scribit X Kal. esse venturum:* ubi verba *ut scribit* induxerunt Bootius et Baiterus, ut recte, vereor; notanda enim, non tollenda incuria sermonis epistolaris et oratio copiosior ac laxius progrediens. Mihi quidem non praesto est alterum plane compar exemplum, sed cum alias non dubitet Cicero verba declarandi et sentiendi, quae vocantur, aut parvo intervallo iterare, ut de Or. II: 3[13] *Nihil sane, inquit Catulus, etenim vides esse ludos; sed (vel tu nos ineptos licet, inquit, vel molestos putes), cum ad me in Tusculanum, inquit, heri vesperi venisset Caesar de Tusculano suo, dixit mihi a se Scaevolam hinc euntem esse conventum, ex quo mira quaedam se audisse dicebat* eqs. (alia multa coll. Plasbergius ad Acad. I: 12[44]), aut variata structura eandem notionem bis efferre, ut ad Att. IV: 15[3] *dedi . . . perscripta omnia, sed, ut conicio, quoniam mihi non videris in Epiro diu fuisse, redditas tibi non arbitror* (etsi hunc quoque locum iniquissime vexarunt Bait., Boot., Fr. Schmidtius Ernestio auctore verba *ut conicio* ut manu interpolatrice inserta exstirpantes) — sed ut dicere instituearam, si quis haec et id genus alia propius perspexerit, ne hanc quidem iterationem *ut scribit . . . scribit* Cicerone indignam iudicabit.

---

ad Qu. fr. II: 14[2] *In hac vero re hoc profecto quaeris, cuius modi illum annum, qui sequitur, exspectem. Plane aut tranquillum nobis aut certe munitissimum, quod cottidie domus, quod forum, quod theatri significationes declarant.* — *plane aut* Ω (sed *plane autem* ms),c, Bait., Muell., Purs.: *aut plane* Wesenb. (Em. Alt. p. 70), Tyrr.-Purs.

In tradito vocabulorum positu offendisse quosdam viros doctos, non est mirum, neque facere possum, quin Wesenbergio assentiar, orationem ad logices regulam facili opera exigi posse transponendo: 'Quid est' inquit, '*plane munitissimum?* Dicendum certe fuit *plane munitum.* Ego: *aut plane*'. Sed idem existimo, consuetudine Ciceronis atque usu dicendi collocationem, quam libri praebent,

commendari: de qua re universa, cum singula ante perstrinxerint viri eruditi,[1] quo exploratius iudicemus ac liquidius, oratio paulo altius repetenda est.

Proficiscendum igitur esse videtur ab enuntiatis disiunctivis, qualia sunt haec: ad Att. I: 5^{2} *Confido ita esse omnia, ut et oporteat et velimus* ΔEGN : *et ut... et* HP : *et ut... et ut* Pal. Rav. VII: 1^{3} *Nunc impendet, ut et tu ostendis et ego video . . ., contentio.* ad Qu. fr. I: 3^{3} *An ego possum aut non cogitare aliquando de te aut umquam sine lacrimis cogitare?* de inv. II: 19^{57} *Cum autem actio . . . commutationis indigere videtur, quod non aut is agit, quem oportet, aut cum eo, quicum oportet, aut apud quos . . . oportet, constitutio translativa appellatur;* quae cum omnibus membris aequalia et congruentia sint, quasi speciminum loco ponantur. Neque tamen haec ita sunt arta et astricta, ut laxari nequeant, quod his maxime modis fieri deprehendimus.

a. Or. 44^{149}, ubi Cicero de ipsa collocatione verborum praecepta tradit, sic scripsit: *Collocabuntur igitur verba, ut aut inter se quam aptissime cohaereant . . ., aut ut forma ipsa . . . conficiat orbem suum, aut ut comprehensio . . . apte cadat,* ubi fuerunt, qui primo loco *aut ut* scriberent (ut Muell.) orationem Tullianam male vexantes; cfr enim Rosc. Am. 29^{82} *Vereor, ne aut molestus sim . . . aut ne . . . videar diffidere.* Ep. XI: 28^{8} *non vereor, ne aut . . . aut ne;* de inv. II: 12^{40} *ne aut . . . aut ne,* quod etiam ad Att. III: 10^{2} restituendum esse censeo: *Quem ego vitavi ne viderem, ne aut illius luctum aspicerem aut ne me perditum illi offerrem*] Σ excepto E : *aut me* ΔE; etenim quam facile *ne* excidere potuerit, neminem fugit. — Eiusdem generis sunt haec: ad Att. IV: 18^{5} *Tu, si aut amor in te est nostri . . . aut ulla veritas, aut etiam si sapis . . ., adesse iam debes; si aut . . . aut si* de inv. I: 42^{79}, 46^{85}, II :25^{74}; *quod aut . . . aut quod* II: 54^{162}; *quam aut . . . aut quam* ad Qu. fr. I: 1^{36}. — ad Att. I: 5^{4} *accidit, ut et contentione nihil opus esset, et ut ego mallem Peducaeum tibi consilium dare;* ad Qu. fr. I: 2^{11} *ut et . . . et ne;* ad Att. III: 23^{3}, de imp. Cn. Pomp. 16^{49} *cum et . . . et cum;* ep. X: 17^{2} (Plancus) *quod et . . . et quod.* Non numquam variant coniunctiones, ut de Fin. II: 5^{15} *si aut . . . aut cum,* ad Att. III: 4 *ne et . . . et quod.*

Neque aliter iudicandum est de positu negandi particulae de inv. I: 8^{10} *At cum causa ex eo pendet, quia non aut is agere videtur, quem oportet, aut non cum eo, quicum oportet, aut non apud*

[1] Madv. ad I de Fin. 10^{33}, II: 5^{15}. Hofm.-Sternk. ad Att. III: 6. E. Ströbelius, Tull. p. 29 sq.

quos . . . oportet, translativa dicitur constitutio, ubi *non* secundo et tertio loco Weidnero duce fuere, qui delerent; defendit Wisénius, De scholiis rhetorices ad Her. p. 116, sed argumentis, quae mihi quidem non probantur: nam quod sermonis quandam neglegentiam agnoscit ab hoc Ciceronis tamquam tirocinio non abiudicandam, hanc ipsam collocationem verborum, licet praeceptis logices, ut ante monui, minus consentanea sit, Ciceroni in deliciis fuisse vel exempla supra allata documento sunt. Itaque transpositio haec: *quia aut non is,* quam dubitanter proposuit l. l., non magis probanda est quam eorum emendandi ratio, qui *non* utroque loco indicta causa damnarunt.

Praeterea annotanda sunt: de Or. I: 46^{202} *Non enim causidicum nescio quem conquirimus, sed eum virum, qui primum sit eius artis antistes . . ., deinde qui possit . . ., tum qui possit . . ., qui denique . . . possit.*

ad Att. II: 19^{5} *posthac ad te aut, si perfidelem habebo, cui dem, scribam plane omnia, aut, si obscure scribam, tu tamen intelleges.* VII: 1^{9} *id tu et ostendisti quibusdam litteris . . ., et in eo ego te adiuvabo* (*tu* om. M^{1}m, Bait., Boot., Tyrr.-Purs.; *et tu* H). Eadem est ratio eius loci, unde profecti sumus, ad Qu. fr. II: 14^{2}: *plane aut tranquillum nobis aut certe munitissimum,* ubi inverso ordine scriptum est *plane aut* pro *aut plane;* unde simul apparet, quantum a vero aberraverit Wesenbergius *plane* cum vocabulo *munitissimum* coniungens.

Apud alios scriptores quam late pateat haec loquendi consuetudo, nondum exploratum est; cavendum tamen, ne bene firmatam codicum scripturam temere mutemus. Velut Liv. II: 27^{2} *postulabant, ut aut referrent ad senatum, aut ut auxilio esset consul suis* Muellerus, qui editionem Weissenbornianam recognovit, sine iusta causa posterius *ut* delevit coll. XXIX: 24^{6} *postulantemque, ut aut traiciatur exercitus aut, si mutata consilia sint, certior fiat.*

b. Alterum genus est hoc, ut in enuntiationibus disiunctivis particula vel pronomen, quod ad utrumque pertinet membrum, non ante priorem coniunctionem disiunctivam collocetur sed immutata sede post inseratur, quo fit, ut verbi causa pro eo, quod exspectes: *ut et . . . et,* dicatur: *et ut . . . et,* velut ad Att. XII: 40^{2} *Illi et quae ipsis honesta essent scribebant et grata Alexandro.* Atque id genus exempla satis multa sunt, si quidem codicibus fides habenda est, sicut est; nam editores vi ac libidine grassantes in re nondum satis explorata Ciceronem vinculis compedibusque indignum in modum astrinxerunt. Velut inspiciamus haec: ad Att. III: 6

idque ad multa pertinuit, in eis, et ut in Epiro consisteremus et de reliquis rebus tuo consilio uteremur, ubi Manutio auctore Bait. et Wes. transponendo tradita *ut et* effecerunt; Muellerus librorum scripturam retinet ille quidem, sed *ut et . . . et ut* malle se confitetur — Luc. 4[12] *tum igitur et cum Heraclitum audirem contra Antiochum disserentem et item Antiochum contra Academicos* (*cum et* Muell. cum Goerenzio). — ad Att. V: 18[4] cum Σc legendum est: *mitte . . . aliquem tabellarium, et ut tu, quid nos agamus, et nos quid tu agas, scire possimus.* In Δ *tu* excidit, sed collocationem vocularum primigeniam servarunt Mbd : *et ut;* unde ortam esse apparet librorum ms coniecturam: *ut et.* Quod recentiores editores omnes ad unum *ut et tu* temere et festinanter arripuerunt, id fragili sane ac potius nullo adminiculo nititur. — V: 18[2] *quibus incredibilis videtur et nostra mansuetudo et abstinentia* ΔGHP librorum consensus in Ω fuisse comprobat (N prius *et* om.); editores tamen (Bait., Purs., Muell.) Kaysero astipulati transposuerunt verba, ut fieret *nostra et* probante Bootio: 'tolle prius *et*', inquit, 'vel pone post *nostra*'. — V: 7 *Tuas litteras exspectabo, cum ut quid agas tum ubi sis sciam* Mds Σ : *cum ut . . . tum ut* bm, Rom.,c, edd. — Ep. IV: 7[2] *sed idem etiam illa vidi, neque te consilium belli ita gerendi nec copias Cn. Pompei nec genus exercitus probare.* — X: 1[1] *non modo ut vocem sed ne vultum quidem.* de N. D. II: 15[40] *is eius tactus est, non ut tepefaciat solum sed etiam saepe comburat.*

ad Att. IX: 15[2] *Volet* (sc. Caesar) *augurum decretum, vel ut consules roget praetor vel dictatorem dicat.* Quod Wesenbergius Em. Alt. p. 118 edixit, Ciceronem potuisse scribere: *ut vel . . . vel,* nunc *vel* semel ante *ut* posito necessario scribendum fuisse: *vel ut . . . vel ut,* Bootio et Muellero persuasit, ceteris non item. Atque nihil emendandum esse elucet ex his: Lael. 17[64] *haec duo levitatis plerosque convincunt, aut si in bonis rebus contemnunt aut in malis deserunt.* — Ep. IX: 17[1] *quasi aut ego quicquam sciam, quod iste nesciat, aut, si quid aliquando scio, non ex isto soleam scire.* — Or. 58[198] *in dicendo autem nihil est propositum, nisi aut ne immoderata aut angusta aut dissoluta aut fluens sit oratio,* ubi Schuetzio duce Pid., Sandius, alii *nisi ut ne* temere arripuerunt. — de Leg. II: 1[1] *nam illo loco soleo uti, sive quid mecum ipse cogito sive aut quid scribo aut lego,* ubi Bait. et Muell. prius *aut* exstirparunt, Halmius cum corr. A *aliquid* pro *aut quid* substituit, utrumque sine iusta causa.

Atque Ep. XI: 10[4] D. Brutus similiter sententias collocavit: *Consilia Antoni haec sint necesse est, aut ad Lepidum ut se con-*

ferat aut Alpibus se teneat aut rusus se referat. — Quae cum ita sint, ne Caesari quidem eadem libertas abiudicanda est b. c. III: 103[1] . . . *hominum armatis, partim quos ex familiis societatum delegerat, partim a negotiatoribus coegerat.* Nam quod Meuselius testimoniis omnium codicum spretis sic transposuit: *quos partim,* de collocatione verborum eandem cantans cantilenam, quam alii multi praemonstrarunt, vehementer desideramus subtile illud iudicium, quo novissimus editor commentariorum tot tamque difficiles locos feliciter emendavit. — Liv. XXXVII: 39[13] *sive quia magnitudine . . . sive robore animorum vincuntur.*

Iam ut ad Ciceronem revertamur, videmur aut hoc modo aut alio nullo explicare posse ad Att. III: 10[2] *Hic utrum tandem sum accusandus, quod doleo, an quod commisi, ut haec aut non retinerem, quod facile fuisset, nisi intra parietes meos de mea pernicie consilia inirentur, aut certe vivus non amitterem?* Quem locum in omnibus libris ΩCZ sic traditum aut perperam interpretari aut variis modis infestare non destiterunt viri docti. Equidem non faciam, ut eorum varia conamina percenseam, qui orationis tenorem ac formam non perspexerint; hoc evidentissime apparet, Ciceronem sibi et aliis quibusdam dupliciter peccasse visum esse: alterutrum enim debuisse, aut commoda retinere aut una cum vita amittere, cfr ep. XIV: 4[5] *peccatum est nullum, nisi quod non una animam cum ornamentis amisimus*: 'The two alternatives are 1. to keep the good things; 2. to lose them, but to lose life at the same time', Tyrr.-Purs. ad l. Neque tamen mihi probatur eorum ratio, qui posterius *non* deleri iubent, ut Crat., Tyrr.-Purs., alii, quoniam hoc *vivus non amitterem* quasi in unum coaluit, ut idem sit atque 'una cum vita' vel 'moriens amitterem' (cfr l. supra l.). Ab hac igitur clausula melius abstinebimus. Sed ne Madvigi quidem emendatione speciosa sane: *quod commisi, ut haec non aut retinerem aut certe vivus non amitterem* (Adv. crit. II: 235), quamvis concinnitati legibusque rationis consonet multisque viris eruditis probetur, opus esse audacter confirmo: pro eo enim, quod exspectes: *non aut . . . aut,* more suo scripsit: *aut non . . . aut.* Hoc nihil certius esse potest.

Illud denique restat, ut ad praepositiones animum attendamus, quarum rationem ne Kunzius quidem, qui de praepositionibus iterandis aut omittendis uberrime egit (Sallustian. III: 224 sqq.), satis perspexisse videtur. Atque ut hic quoque a tritis pervulgatisque rebus exordiamur, quis est, quin sciat, in sententiis, qualis est Lael. 2[6] *multa eius et in senatu et in foro . . . responsa acute ferebantur,*

praepositiones iterari solere? Cui rationi non obstat, quod Lentulus Ep. XII: 14[4] Ciceroni sic scribit: *velim . . . et in senatu et ceteris rebus laudi nostrae suffragere,* ubi haec duo *in senatu* et *ceteris rebus* diversa ratione ponuntur; ne hoc quidem, ad Att I: 1[2] *qui sic inopes et ab amicis et existimatione sunt, ut . . .*, excipi putaverim, quoniam *inops* vocis duplex structura est. Sed restant satis multa, quae ut grammaticorum decretis refragantur ita consuetudini Tullianae, quam supra adumbravimus, consentanea sunt, velut haec: Ep. XIII: 6[4] *Id facies, si omne genus liberalitatis, quod et ab humanitate et potestate tua proficisci poterit, exprompseris,* ubi Wesenb. Em. Alt. p. 41 *a* ante *potestate* addi iussit, cui tamen editores recentiores non astipulati sunt. Quo magis mirandum videtur ad Brut. I: 11[1] *ut non dubitem, quin et in Caesare et Antonio se praestaturus fuerit acerrimum propugnatorem communis libertatis* (Ω) obsequium editorum Wesenbergio (Em. Alt. 145) suffragantium: *et in . . . et in,* qua emendatione sane non opus est (prius *et* del. Crat.). — de N. D. I: 1[2] *nam et de figuris deorum et de locis atque sedibus et actione vitae multa dicuntur* forsitan quispiam ita excuset, ut duo tantum membra agnoscat; quid vero faciemus locis, quales sunt hi: ad Qu. fr. III: 1[4] *cum tu neque per Lucustae neque Varronis velles ducere* codd.: *neque per . . . neque per* edd. — in Verr. IV: 1[1] *nego in Sicilia tota . . . ullum argenteum vas . . . fuisse . . ., nego ullam picturam neque in tabula neque textili, quin conquisierit* plurimi codd. et optimi : *textilem* dett. : *in textili* vulg. — De off. II: 16[56] *liberales autem* (sc. sunt), *qui . . . opitulantur vel in re quaerenda vel augenda,* ubi Muellerus ne commemorata quidem codicum memoria alios secutus sic transposuit: *in re vel . . . vel.* Quibus omnibus locis me quidem iudice librorum scriptura servabitur, ne ipso Cicerone fastidiosiores reperiamur.

Ex his igitur, quae exposuimus, satis intellectum putamus, collocationem vocabulorum, qualis est verbi gratia *et ut . . . et ut* vel *ut et . . . et,* saepenumero ita variatam esse, ut hic ordo paulo liberior lepidiorque exsisteret: *ut et . . . et ut* vel *et ut . . . et.*

---

ad Qu. fr. II: 15[3] *Ego eodem die post meridiem Vatinium aderam defensurus.* — *aderam* Ω,c : *eram* edd. Lambino duce.

Non possum satis mirari, editores uno consensu Lambini inventum *eram (defensurus)* amplexos esse. Quamquam Tyrrello et Pursero tenuissimus scrupulus residere videtur: '*aderam* M', inquiunt, 'fort. recte'; Muellerus quidem tacet, ut ne suspicari quidem

liceat, in libris aliter scriptum esse, quam nunc vulgatur. At tamen si *eram* scripsisset Cicero, in quo non erat cur quis offenderet, qua tandem causa factum esse putamus, ut quis *aderam* supponeret? Quod suapte se natura commendat: id scilicet non viderunt viri docti, *Vatinium aderam defensurus* eadem ratione dictum esse atque Plaut. Mil. 442 *eam veni quaesitum,* Aul. 95 sq. *Cultrum . . . Fures venisse atque abstulisse dicito,* Mil. 1145 *Nam ipse miles concubinam intro abiit oratum suam,* Ter. Ad. 917 *Tu illas abi et traduce,* Gell. N. A. II: 29[7] *fac amicos eas et roges veniant;* Aul. 270 *vascula . . . pure propera atque elue* (v. Kauerus ad Ad. 917), unde simul hoc apparet, figuram illam, sive διὰ μέσου libet appellare sive Hyperbaton, cottidiani sermonis propriam esse verbisque movendi potissimum adaptari.[1] Iam vero *adesse* illud et de advocatis proprie dici constat (cfr Don. ad Ter. Phorm. 313 *adesse dicuntur advocati*), ut Or. pro Sulla 4[13] *hunc defendunt, huic adsunt,* pro Balbo 19[43] *Itaque et adsunt principes civitatis et defendunt amore ut suum civem,* pro Quinct. 23[75] *At contra omnes, quibuscum ratio huic aut est aut fuit, adsunt, defendunt,* al. sim. ll., et notionem structuramque verborum movendi induere: Or. pro Clu. 69[197] *homines honestissimos . . . huc frequentes adesse voluerunt,* in M. Ant. V: 7[19] (*me*) *adesse in senatum iussit;* atque ad Att. I: 1[3] de eadem re dicitur *ut adessem contra Satyrum* atque § 4 *ne contra amici summam existimationem venirem.* Quae omnia si quis sobrio iudicio reputaverit, vix potuisse magis proprie scribere Ciceronem concedat necesse est, quam quod omnes libri testantur eum scripsisse: *Vatinium aderam defensurus.*

---

ad Qu. fr. III: 1[23] *Quod multos dies epistulam in manibus habui propter commorationem tabellariorum, ideo multa coniecta* (Ω) *sunt aliud alio tempore, velut hoc.*

Quod Madvigius Adv. crit. III: 196 *conlecta* verum esse sibi persuasit, quam coniecturam Muellero et Pursero probavit, licet lenissima sit mutatio, tamen inutilis ac reiectanea mihi quidem videtur; *coniecta* enim, ut Tyrrelli verbis utar, 'means *thrown together.* As the letter was written piecemeal, it lacked order and system. Cicero added, each time he sat down to write, just whatever topic occurred to him on the occasion'. Quod si quis alterum desiderat huius modi exemplum, evolvat ep. ad Att. VII:

[1] Itaque mihi quidem valde arridet Lindemanni emendatio Plaut. Amph. 32 *Propterea pacem advenio et ad vos affero;* codd.: *pace advenio et pacem ad* eqs.

16[1]: *De mandatis Caesaris adventuque Labieni et responsis consulum ac Pompei scripsi ad te litteris iis, quas a. d. V Kal. Capua dedi, pluraque praeterea in eandem epistulam conieci.* — ad Att. XVI: 6[4].

---

ad Qu. fr. III: 1[24] *Nihil illo* (i. e. Gabinio) *turpius. Proximus tamen est Piso. Itaque mirificum embolium cogito in secundum librum ... includere, dicentem Apollinem in concilio deorum, qualis reditus duorum imperatorum futurus esset, quorum alter* (i. e. Piso) *exercitus perdidisset, alter* (i. e. Gabinius) *vendidisset.* — *exercitus* Ω praeter P: *exercitum* P,c, vett., vulg.

Quod editores singularem pro plurali substituerunt, non dubium est, quin pervulgatissimum dicendi genus ac nostri quoque sermonis ut Latini proprium sine iusta causa in suspicionem vocaverint: pluraliter enim singularia efferre solebant, si universam rei alicuius notionem potius quam ipsum numerum spectabant.

Velut Gellius N. A. II: 13 antiquos scriptores unum filium filiamve *liberos* multitudinis numero appellasse docet, et Serv. ad Verg. Aen. X: 532 suae quoque aetatis homines unum filium *liberos* dicere testatur. — Tac. Ann. I: 42 (Germanicus) *ita coepit: Non mihi uxor aut filius patre et re publica cariores sunt, sed illum quidem sua maiestas, imperium Romanum ceteri exercitus defendent: coniugem et liberos meos* (i. e. filium meum, Caligulam) ... *nunc procul a furentibus summoveo,* ubi v. annot. Nipperdei et Andreseni. — Cic. Or. pro Sex. Rosc. 34[96]. de imp. Cn. Pomp. 12[33]. de prov. cons. 14[35]. — Ep. IV: 5[3] (Ser. Sulpicius). XII: 13[2] (C. Cassius). — Ter. Andr. 891. Cfr Schmalzius, 'Zeitschr. f. d. Gymn. Wes.' XV (a. 1881) p. 121. Seyffertus et Muellerus ad Lael. 11[37].

Pontes pro *ponte* poni cum ex aliis locis intellegitur tum ex ep. X: 23[3], ubi Plancus de ponte in Isara facto (15[3] *itaque in Isara ponte uno die facto exercitum traduxi,* 21[2] *cum Isaram flumen uno die ponte effecto exercitum traduxissem,* 18[4] *pontem tamen, quem in Isara feceram, castellis duobus ad capita positis reliqui*) sic scribit: *omnes copias Isaram traieci pontesque, quos feceram, interrupi:* unde hoc simul apparet, scriptoribus liberum fuisse arbitrium structuras variandi. — Tac. Ann. II: 8.

Exercitus vero eo loco, de quo mentionem fecimus, editores lacessisse eo magis mirum videtur, quod de duobus exercitibus, Pisonis et Gabini, agitur quodque saepe alias, praesertim in re

universe designanda, ut dixi, hanc ipsam vocem pluraliter appellabant et Cicero et alii scriptores, velut ad Att. IX: 18[1] '*Sic*', *inquam*, '*agam, senatui non placere in Hispanias iri nec exercitus in Graeciam transportari*' ('the throwing of an army into Greece', Tyrr.-Purs. ad l.). — Caes. b.c. III: 81[2] *Larisaeos, qui magnis exercitibus Scipionis tenebantur*, de quo loco Meuselius dubitat: '*magnis exercitibus* ist auffallend und wahrscheinlich verdorben, da Scipio doch nur ein Heer hatte. Vielleicht *coerciti manibus?*' V. tamen edd. ad Tac. Ann. I: 52.

Restat, ut singularia quaedam proferam, quibus tota res illustretur. Plaut. Men. 795 sq. *Tua quidem ille causa potabit minus . . .? Servirin tibi Postulas viros?* Hor. Sat. I: 7[34] *per magnos, Brute, deos te Oro, qui reges consueris tollere, cur non Hunc Regem iugulas?* — Cic. Ep. I: 1[4] *Si esset in iis fides, in quibus summa esse debebat, non laboraremus* (in iis = in Pompeio). — V: 4[2] Cicero Metello scribit: *abs te peto quaesoque, ut tuos mecum serves potius quam propter arrogantem crudelitatem tuorum me oppugnes*, ubi *tuos* proprie dicitur, *tuorum* ad Clodium solum spectat. — pro Sest. 36[78] *Gladiatores tu cum sicariis immittas, magistratus* (i. e. Fabricium) *templo deicias, caedem maximam facias . . .*[1] — ad Brut. I: 16[2] . . . *ut Octavius orandus sit pro salute cuiusquam civis, non dicam pro liberatoribus orbis terrarum: iuvat enim magnifice loqui, et certe decet adversus ignorantes, quid . . . a quoque petendum sit*, de quo loco Bootius, vir Brutini sermonis peritissimus existimator, perperam iudicat Obs. crit. p. 64: 'Brutus', inquit, 'haec non scripsit ad plures, sed unum Ciceronem alloquitur. Itaque ei reddamus suum *adversus ignorantem* ɔ: adversus te, qui ignoras'. Non vidit scilicet vir ille doctissimus, in Cicerone perstringendo Brutum generatim atque universe locutum esse; pluralem enim saepe poni vidimus non modo ad rem aliquam exaggerandam sed etiam ad acerbitatem orationis invidiamque mitigandam; cfr etiam ad Att. I: 17[3] *ne, dum defendam meos* (= Quintum), *non parcam tuis* (= Pomponiae).

Quae cum ita sint, cumque a consensu librorum, siquidem in significatione verborum nihil offensionis remanet, recedere non oporteat, ad Att. II: 1[5] Ciceroni vel potius Clodio restituendum est, quod editores ad unum omnes Lollio auctore ei abiudicarunt: . . . *quaerit* (Clodius) *ex me, num consuessem Siculis locum gladia-*

---

[1] De quinto ad Att. 2[1] *cui* (Hortensio) . . . *mandavi* . . ., *ne pateretur* . . . *prorogari nobis provincias* cfr Lehmannus, 'Jahresber. des philol. Vereins' a. 1888 p. 257: 'der Plural *provincias* richtig; der Senatsbeschluss konnte sich nicht auf Cilicien allein beziehen': *provinciam* Pio auctore priores edd.

toribus dare. Negavi. 'At ego', inquit, 'novos patronos instituam; sed soror, quae tantum habeat consularis loci, unum mihi solum pedem dat.' — *novus patronus* vulg. — Quod sive proprie dictum voluit ad novam quasi seriem patronorum designandam a se tamquam duce ac principe ortam sive translate de universa sua patrocinandi ratione, scripturam omnium codicum fide munitam et a Cratandro quoque servatam inutiliter temptari existimo.

---

ad Att. I: 2^2 *Tuo adventu nobis opus est maturo . . . Quare Ianuario ineunte, ut constituisti, cura ut Romae sis.* — *ineunte* Σ,c : *mense* Δ, vulg.

Non dubito, quin inepti hominis videatur inter duas illas lectiones diiudicare velle, cum nihil fere intersit, utram recipiendam esse putemus; neque tamen fieri potest, si quis sibi proposuit, ut ipsa verba Ciceronis recuperet, quin interdum ad nugas animum attendat. *Ineunte* igitur in optimis libris traditum vel eo commendatur, quod post verbum, quod est *Ianuario,* facillime potuit librario, qui Δ descripsit, in mentem venire hoc: *mense;* atque nihil inter se differunt *ineūte* et *mense* nisi una litterula (nam lineae nasalis saepius omissae vel perperam ascriptae non opus est rationem habere). Accedit, quod Cicero in epistulis quidem non eo, quo editores existimant, ordine vocabula illa componere solet; nam sine dubio scripsisset *mense Ianuario* ut 1^2 *mense Septembri.* 3^2 *ad mensem Ianuarium.* 4^1 *in mensem Quintilem.* II: 1^{11}. 3^3. 21^5. III: 8^3. 23^1. V: 12^1. 18^3. 21^{14}. VI: 1^{24}. 2^{10}. XIII: 5^1. XIV: 7^2. — ad Qu. fr. II: 1^1. 1^3. 11^3. 15^3. — Ep. V: 6^1. X: 4^4 (Planc.) 33^3 (As. Pollio); nam quod ad Att. VI: 2^6 inverso ordine scripsit: *in Ciliciam cogitabam. Ibi cum Iunium mensem consumpsissem . . ., Quinctilem in reditu ponere,* id videlicet in contrariis inter se opponendis factum est. Praeter hunc locum nullum inveni, qui repugnaret, nisi ep. X: 26^3: *in Ianuarium mensem protrudimus* (quod a. 43 a. Ch. n. scripsit).

Atque is positus verborum, quem supra vindicavi, cottidiani sermonis proprius fuisse videtur; in parietibus quidem excubitorii cohortis VII vigilum (trans Tiberim prope viam Aureliam) tricies quinquies graphio exarata sunt *mense Iulio, mesi Martio, mensi Aprile,* sim. (v. C.I.L. VI: 2998—3091), et quidem sine ulla exceptione observato hoc ordine verborum.

---

ad Att. I: 18[1] *Nihil mihi nunc scito tam deesse quam hominem eum, quocum omnia, quae me cura aliqua afficiunt, una communicem, qui me amet, qui sapiat, quicum ego colloquar, nihil fingam, nihil dissimulem, nihil obtegam.* — *(quicum) ego côloquar* M[1]: *ego colloquar* Σ excepto N : *ego etiam (ĉt) loquar* M[2] N : *ego* col *& loquar* m : *etiam loquar* bds.

Hunc locum quo saepius mecum considero, eo certius habeo, consensum M[1] Σ *quicum ego colloquar* (cfr p. 77) inutiliter temptari, neque dubito, quin et Lehmannus, vir prudentissimus idemque cautissimus, et alii viri eruditi ab emendationibus abstenturos fuisse, si de primitiva scriptura Medicei constitisset (*cô* M[1] habuit, erasit M[2] et ascripsit *ĉt*, i. e. *etiam*): *ego cum loquar* Orellio auctore Lehmannus, 'Woch. f. kl. Phil.' XIII (1896) p. 557 sq., Muell., Purs.; *ego* ⟨*ita*⟩ *loquar* ⟨*ut*⟩ Klotzius, Tyrr.-Purs. ed. 3; *ego ex animo loquar* Kochio auctore Bait., Wesenb., Vahlenus Op. I: 97, *intime* (*ītīe*) *loquar* Reidius, Hermath. XXX: 106; de aliorum inventis cfr annotationem Muelleri.

Primum igitur *etiam* illud, quod ferri non potest, quid sibi velit quove modo ortum sit, nemo adhuc, quod sciam, explicavit; fieri tamen potest, ut ex permutatione et confusione compendiorum, quae sunt *cô* et *ĉt*, natum sit. Iam vero mutationem, qua ex illo *colloquar, conloquar* factum est hoc: *cum loquar*, ut lenissimam esse concedo (velut ad Att. I: 17[1] pro eo, quod est *cum cuperem*, in quibusdam libris est *concuperem*), et compositionem orationis ad regulas artis grammaticae et logicae sic facillime exigi, ita non modo supervacaneam duco verum etiam reiectaneam, quod ornata illa brevium sententiolarum concinnitas misere perit, si tantillum mutatur. Nam ne quis mihi obiciat, posteriora cum prioribus male cohaerere, quippe cum haec illis subiuncta sint — quamquam vel inserto pronomine, quod est *ego,* transitum scite sane significavit —, quis est, quin sciat, Ciceronem sententias diversi generis, quo numerosior atque aequalior evadat oratio, persaepe ita componere, ut aut enuntiatum, quod alteri subiunctum est, sui iuris fiat, aut id, quod liberum est, pariter cum altero pendeat? Velut ad Att. III: 4 *quod correctum esse audieramus erat eius modi, ut mihi ultra quadringenta milia liceret esse, illo pervenire non liceret. Statim . . .* (v. supra p. 85), quanto venustius enuntiata composuit, quam si *cum* particula addita alterum alteri subiunxisset! — Paulo audacius sententiarum ac verborum concinnitati consuluit, severas logices leges neglexit ad Att. III: 24[2] *Fuit omnino difficile non obse-*

qui vel amicissimo homini, Lentulo, vel Metello, qui simultatem humanissime deponeret; sed vereor, ne hos tamen tenere potuerimus, tribunos pl. miserimus, ubi *cum* pro *tamen* habent Iens., c, *tamen* deleri iussit Starkerus, diss. Vratisl. 1882 p. 37 sq., *cum* ante *tamen* inseruerunt Ernesto duce Bootius et Tyrr.-Purs., et quidem iniuria. Ne hoc quidem editoribus concesserim, *miserimus* (Ω excepto P) in *amiserimus* (P, c, vulg.) mutandum esse, quod sine dubio posuisset ut § 1 *Ita vereor, ne et studia tribunorum amiserimus et, si studia maneant, vinclum illud adiungendorum consulum amissum sit,* nisi *tenere* (non *retinere*) et *mittere* (non *amittere*) dedita opera inter se opposuisset.[1] — Tertium affero ad Att. I: 16[3] *Sed iudicium si quaeris quale fuerit, incredibili exitu, sic uti nunc ex eventu ab aliis, a me tamen ex ipso initio consilium Hortensi reprehendatur,* doctamque annotationem Hofmanni totidem verbis exscribo: '*a me tamen*] Dieser zweite Teil des Folgesatzes ist durchaus unlogisch; denn dass Cicero von Anfang an den Rat des Hortensius getadelt hatte, kann nicht Folge jenes Ausgangs gewesen sein. Danach gehört dieser zweite Teil nur grammatisch, nicht dem Sinne nach zu *sic uti,* und Cicero schreibt hier so unlogisch, aber für einen Brief nicht ungewöhnlich, an Stelle von: *sic uti ex eventu ... reprehendatur; a me tamen ex ipso initio reprehendebatur.* Für das gewöhliche *ab initio* steht *ex initio,* weil *ex eventu* vorhergeht.' Cfr etiam ad Qu. fr. III: 1[8] *Id facit Oppius non numquam necessario, ut, cum tabellarios constituerit mittere ..., aliqua re nova impediatur et necessario serius, quam constituerat, mittat, neque nos datis iam epistulis diem commutari curemus* Ω, Bait., Muell.: *curamus* Lehmannus, Quaest. Tull. p. 90, Purs., Tyrr.-Purs. sine iusta causa, etsi sic debuisse scribere Ciceronem nemo non videt.

Quae consuetudo universa quam late pateat cum apud alios scriptores tum vero apud Ciceronem,[2] etsi neminem peritum fugit,

[1] Cfr Haulerus ad Ter. Phorm. 812, Vahlenus Op. II: 43, qui Cic. de fin. I: 1[2] *difficilem quandam temperantiam postulant in eo, quod semel iam missum coerceri reprimique non potest* tutatur; de posteriorum scriptorum usu egit Löfstedtius, 'Beitr. zur Kenntniss der späteren Latinität' p. 82 sqq.

[2] Pauca ipse tetigi 'Futurum im Altlat.' p. 230 sqq. Cfr etiam Altenburgius, De sermone pedestri Italorum vetustissimo p. 34 sqq. Nordenus, De Minucii Felicis aetate et genere dicendi p. 22 sqq. Ziemerus, 'Über syntaktische Ausgleichungen', 'Zeitschr. f. d. Gymn. Wes. N. F.' 34 (1900) p. 71 sqq. Nordenus, 'P. Vergilius Maro Aeneis Buch VI' p. 375 sqq. Kühnastius, 'Die Hauptpunkte der livian. Syntax' p. 328. Middletonius, 'An Essay on Analogy in Syntax', Lond. 1892.

tamen haud alienum erit aliis quibusdam exemplis ex magno acervo libatis rem illustrare.

Velut in delectu verborum Ciceronem concinnitatem persaepe respexisse constat, sive vocabula novavit, ut de sen. 14[47] *At non est voluptatum tanta quasi titillatio in senibus. Credo, sed ne desideratio quidem,* de Or. II: 15[64] *In eodem silentio multa alia oratorum officia iacuerunt, cohortationes, praecepta, consolationes, admonita,* ad Att. I: 16[13] *Quare, ut opinor,* φιλοσοφητέον ... *et istos consulatus non flocci facteon,* sive usitata quaedam propter vicinitatem similium maluit, ut pro Quinct. 62 *commendare ... et concredere,* pro Rosc. Am. 113 *commendatae sunt atque concreditae* (nam si ab his duobus locis discesseris, verbo, quod est *concredere,* abstinuisse videtur). Eandem ob causam *quicum (ego colloquar)* eo, de quo nunc agitur, loco posuit, cum paulo ante *quocum (omnia ... communicem)* dixisset. — *Nihil novi* et *nihil triste* Latine dici constat; sed aequabilitatem observans Or. 19[64] scripsit *oratio philosophorum ... nihil iratum habet, nihil invidum, nihil atrox, nihil miserabile, nihil astutum;* contra de N. D. I: 27[75] genetivus praevaluit: *species ut quaedam sit deorum, quae nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis.* — Ad praepositionum usum cum alia multa pertinent (cfr Lebretonius, 'Études' p. 412) tum haec: de N. D. I: 35[97] *sunt multa, quae terra, mari, paludibus, fluminibus exsistunt.* Cfr Sall. Jug. 33[4] *producto Iugurtha verba facit* (scil. Memmius), *Romae Numidiaeque facinora eius memorat.* de inv. II: 53[160] *postea res ab natura profectas et ab consuetudine probatas legum metus et religio sanxit.*

Locutiones, quae sunt *in posterum, in perpetuum,* pervulgatas esse et usu tritas apud Ciceronem aliosque scriptores constat; *in praesens* Livius (v. J. H. Muellerum ad II: 42[7]) et Sallustius frequentant illi quidem, sed Cicero maluit *tempus* addere Or. in Cat. I: 9[22] *video ..., quanta tempestas invidiae nobis, si minus in praesens tempus recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat* (ceterum solet *in praesentia* adhibere, ut de Fin. V: 8[21], ad Att. XV: 20[4]). Neque tamen de codicum memoria dubitandum est ad Brut. I: 15[10] ... *neque tam ulciscendi causa quam ut et in praesens sceleratos cives ... deterrerem et in posterum documentum statuerem, ne quis ...* (cfr. annot. Muelleri): *in praesenti* C (quo semel usus est Cicero, Ep. II: 10[4]), Gurlittus Philol. LV: 321, Purs. — Neque aliter adiectivum substantivi vice fungitur pro Mur. 3[7] *Nihil tibi a me defuit, quod esset aut ab amico aut a gratioso aut a consule postulandum.*

Or. in Cat. III: 7^{16} *nihil erat, quod non ipse obiret, occurreret, vigilaret, laboraret:* 'zwei Paare von Synon., durch Anklang und Ausklang verbunden; an das erste Wort lehnen sich die übrigen an ohne der Kstr. auf *quod* zu folgen', Richterus et Eberhardus ad l.

De assimilatione modorum satis erit breviter disputare. Parad. Stoic. 26 *Qui possint* (scil. *peccata leviora*) *videri, cum quicquid peccetur pertubatione peccetur rationis atque ordinis?* ubi fuerunt, qui *quicquid peccatur* scriberent, v. Plasbergium ad h. l. — ad Att. II: 19^{2} *Scito nihil umquam fuisse tam infame . . . quam hunc statum, qui nunc est, magis me hercule quam vellem, non modo quam putarem,* ubi *vellem* nihil miri habet, *putarem* quibusdam (Bootio, Baitero, Tyrrello, Pursero) offensioni fuit *putaram* probantibus; ac potuit sane indicativum ponere, ut ad Qu. fr. I: 1^{36} *quamquam in his litteris longior fui, quam aut vellem aut quam me putavi fore,* sed assimilatam figuram in sententiis parallelis maluit elegantissimus ille scriptor atque orationis artifex; cfr Plaut. Mil. 370 *numquam deterrebor, Quin viderim id, quod viderim,* sed 345 *volo scire, utrum egon id, quod vidi, viderim.* — ad Att. IV: 8 a^{3} *Quid sit, quod se a me removit, si modo removit, ignoro* indicativus in priori sententia positus mirabilis est atque inauditus, unde factum est, ut Ernestio auctore Tyrr.-Purs. *remorit* scriberent, Bootius 'e necessaria correctione' *removerit* restitueret. Ac praeclare illi quidem morem Ciceronis observarunt, qui cum non solum in interrogationibus directis, qualis est haec: pro Clu. 22^{59} *Quid est, quod plura dicamus?* (i. e. *nihil est, quod*), sed etiam in huiusmodi: in Pis. 25^{59} *Quid est, Caesar, quod te supplicationes . . . delectent?* (i. e. *cur*) coniunctivo uti soleat (v. Lebretonius, 'Études' p. 318 sq.), eo magis hic debuit uti; neque satis apta sunt ad persuadendum ac magna ex parte diversa, quae congessit Muellerus in annotationibus ad h. l. et ad Or. in Verr. III: 53^{124} ascriptis ad indicativum tuendum, qui nulla re magis quam ratione aequabilitatis excusatur.

Verbo *faciendi* infinitivus adiungitur apud posteriores potissimum scriptores velut Hieron. ep. 50^{4} *quoties me iste stomachari fecit,* v. Thielmannum, '*Facere* mit dem Inf.', Arch. Woelffl. III: 177. Hac structura prorsus abstinet Cicero, nisi quod eam concinnitatis causa semel admittit, Brut. 38^{142} *Nulla res magis* (scil. quam actio) *penetrat in animos . . . talesque oratores videri facit, quales ipsi se videri volunt.* — Agmen exemplorum claudant haec duo: ad Qu. fr. II: 8^{2} *memini enim . . ., miros risus nos edere, cum ille*

ignarus sui comitatus repente aperuit lecticam et paene ille timore, ego risu corrui (pro eo quod exspectamus: *et paene timore corruit*). Brutus ad Att. I: 17[5] *Quanto autem magis illa callere videtur Philippus, qui privigno minus tribuerit, quam Cicero, qui alieno tribuat,* ubi alterum *qui* delerunt priores, Bait., *quam quod Cicero alieno tribuat* coni. Purserus.

Sed satis iam exemplorum est, metuoque, ne quis nimiam putet congeriem; neque enim mihi proposueram, ut de universa ratione assimilationis, quae vocatur, disputarem, sed pauca volui exempli gratia proferre ad hoc dicendi genus adumbrandum, quo facilius de eo loco, unde digressa est oratio, diiudicari posset. Delectus igitur agendus est lectionum, quae sunt *quicum ego cum loquar* (ceterorum enim coniecturas missas facio) et *quicum ego colloquar,* quarum altera lenissima coniectura inventa cum legibus grammatices et logices consentit et concinit, altera codicum auctoritate nititur et consectatione concinnitatis Tulliana commendatur. Equidem hanc veram esse iudico ideoque restituendam.

---

ad Att I: 18[2] *Etenim post profectionem tuam primus, ut opinor, introitus fuit* [in causam] *fabulae Clodianae, in qua ego ... omnes profudi vires* eqs.

Ex codicum ratione intellegi potest, verba *in causam* genuina non esse; exstant in bdsGH, desunt in ENP Pal. (= Σ), quibuscum M[1]m sine dubio conspirarent, si integri essent (de lacuna cfr p. 18, de codicum ratione pp. 54, 85). Neque cuiquam contigit, ut insiticia illa satis explicaret; unde venerint, non liquet, nisi quod suspicio est, *causa* aliquando ascriptum esse interpretandi gratia, post ad *introitus* relatum. — De interpolationum ratione universa v. p. 155.

Paulo infra § 3 legendum est: *Sic ille annus duo firmamenta ... evertit ... Instat hic nunc annus egregius*] ENP Pal. Rav.: *hic nunc ille annus* bdsGH (ascito *ille* ex versu superiore, cfr p. 67), Muell., Tyrr.-Purs., Purs.

§ 4 *Is ad plebem P. Clodium traducit idemque refert, ut universus populus in campo Martio suffragium de re Clodi ferat*] *refert* ENP Pal. Rav.: *fert* bdsGH, vulg.

---

ad Att. I: 20[4] *De Sicyoniis, ut ad te scripsi antea, non multum spei est in senatu; nemo est enim, iam qui queratur. Quare, si id exspectas, longum est; alia via, si qua potes, pugna. — iam qui*

queratur M²ms EGHN : *qui iam queratur* P Pal. : *qui queratur iam* bd : *idem qui queratur* M¹ (sed *idem* expunctum est, *iam* ascriptum ab M²), recc. edd. auctore Lehmanno, Quaest. Tull. p. 33.

Non dubium est, quin Lehmannus *iam* pro eo quod est *idem* commendaturus fuerit, si de librorum consensu constitisset. Agitur autem de negotio quodam Attici cum Sicyoniis, quorum civitas eo tempore libera erat. Quod speraverat, se pecuniam debitam adiutore C. Antonio proconsule (cfr Hofm.-Sternk. ad 19⁹) brevi exigere posse, ea spes ad irritum redacta est senatus consulto, quo sanctum esse videtur, ne proconsulibus de pecuniis creditis ius dicere liceret. Quae res cum non modo Attico sed etiam aliis multis detrimento futura esset, statim impugnari coepta est, sed paulatim tota res refrixit, cfr 19⁹ *conventus* (scil. 'hominum, quorum commodis illud SCtum obstare videbatur', Boot. ad h. l.) *iam diu fieri desierunt*. 20⁴ *inducendi SC^ti^ maturitas nondum est, quod neque sunt, qui querantur, et multi . . . delectantur*. Itaque *iam* recte se habet; *idem*, quod Lehmannus defendit collatis ad Qu. fr. I: 2¹³, ep. II: 17⁷, ad Att. III: 23⁴, quorum locorum paulo alia ratio est, ortum esse apparet ex confusione compendiorum *iā* (i. e. *iam*) et *id̄* (i. e. *idem*).

---

ad Att. II: 19⁵ *Caesar me sibi volet esse legatum*. — *volet* codd. : *vellet* c : *vult* edd. cum Victorio.

Pauca dicam de futuri *volam, -es, -et* in enuntiationibus primariis usu, quod editores miro sane consensu tamquam superstitione quadam capti et hoc loco et compluribus aliis praesenti commutarunt; etsi ne sic quidem sibi satis constiterunt: est enim, ubi futurum incolume reliquerint.

1. Atque ut a prima persona exordium sumam, Ep. XI: 7² Cicero D. Brutum hunc in modum hortatur: *Caput autem est hoc, quod te diligentissime percipere et meminisse volam, ut ne in libertate et salute p. R. conservanda auctoritatem senatus exspectes nondum liberi, ne et tuum factum condemnes — nullo enim publico consilio rem p. liberavisti . . . —, et . . . Caesarem iudices temere fecisse, qui tantam causam publicam privato consilio susceperit;* ubi *volam* codicum fide munitum iure optimo retinuerunt Bait. et Mend., crucem voci suspectae praescripsit Muell. *velim* potius scribendum ratus cum codicibus novellis editionibusque vetustis, Wesenbergius, subtilis ille iudex sermonis Tulliani, Em. Alt. p. 38 *volo* proposuit, quod Tyrr.-Purs. et Pursero probatur; sunt denique, qui *volumus* verum esse sibi persuaserint. Attamen si quis orationis tenorem

attento animo perpenderit, Ciceronem inter se opponere intelleget, quae Brutus egisset quaeque acturus esset; futuri vero notionem, cum verba voluntatis infinitivum praesentis sibi adiungant, qua tandem ratione potuit exprimere nisi ea ipsa, qua usus est? Quod si quis aliud compar desiderabit huius structurae exemplum, respiciat Plautinum hoc Curc. 493:

> Lyc. *Memento promisisse te, si quisquam hanc liberali*
> *causa manu assereret, mihi omne argentum redditum iri,*
> *minas triginta.* Capp. *Meminero: de istoc quietus esto.*
> *et nunc idem dico.* Curc. *Et quidem meminisse ego haec*
> *volam te.*

Codd. *et commeminisse* praebent; corr. Leo et Klotzius. — Ac Plautum quidem *facito ut memineris* semper dicere, in hac formula praesenti *fac* prorsus abstinere constat; cfr *memento.* Et si verum quaerimus, *volam* eo loco Tulliano, de quo agitur, non magis mirum aut novum est quam ad Att. II: 25[1]: *Cum aliquem apud te laudaro tuorum familiarium, volam illum scire ex te, me id fecisse,* quod editores integrum intactumque reliquerunt.

2. Ep. VIII: 13[2] Caelius Ciceroni scribit: *Voles, Cicero, Curionem nostrum lautum intercessionis de provinciis exitum habuisse.* 'You will be anxious to learn that etc.' Tyrr.-Purs. ad l.

3. ad Att. XII: 25[1] Cicero se hortos Sili cuiusdam praesenti pecunia emere malle scribit quam permutare cum aliquo praedio, quo Silium contentum fore diffidit: *Mihi et res et condicio placet, sed ita, ut numerato malim quam aestimatione. Voluptarias enim possessiones* (i. e. locos amoenos) *nolet Silius* (i. e. recusabit, opinor). IX: 15[2] *Me nunc et congressus huius* (i. e. Caesaris) *stimulat* . . ., *et primas eius actiones horreo. Volet enim, credo, S. C. facere, volet augurum decretum.* In quos locos clementer sane consuluerunt editores, superbius vero in hunc, ad Att. XIV: 1[2] . . . *de Brutô nostro. De quo quidem ille, ad quem deverti* (i. e. Matius), *Caesarem solitum dicere*: '*Magni refert, hic quid velit, sed quicquid volet, valde volet*' $M^1 m Z^t$, c, v. c. : *vult* M corr., edd. (E deest; ceterorum librorum testimonia nondum collecta habeo). A lectione difficiliore, quam pervetustam esse consensus M^1m cum Torn. et Crat. comprobat, proficiscendum esse ratio suadet, in qua forsitan haerere potuerint olim librarioli non minus quam nostra aetate viri eruditi; illud *vult* enim, si iam inde antiquitus traditum esset, nemini in mentem incidisset mutare. Ac vide, quanto argutior sit futuri figura: Caesar scilicet, quem matre Bruti Servilia fami-

liarissime usum esse constat ipsique adulescenti summam benevolentiam praestitisse, indole pueri mature perspecta praedixit, magni interesse animum eius, ut qui propositi tenacissimus esset, sapienter regere ac moderari: quodcumque sibi proposuisset, constantissime persecuturum. Quod quam vere vaticinatus esset, Caesar suo ipse exitu confirmavit.[1]

Iam ut ad ep. ad Att. II: 19[5], unde egressi sumus, revertamur, ex eis, quae ante disputavimus, elucet, futurum *volet,* cum omnium librorum testimonio nitatur et a consuetudine Ciceronis minime abhorreat, sine iusta causa mutatum esse. Si enim *vult* scripsisset, eadem fere esset sententia atque supra ep. ad Att. II: 18[3] *A Caesare valde liberaliter invitor in legationem illam, sibi ut sim legatus, atque etiam libera legatio voti causa datur . . . Sed nihil affirmo.* Futurum hunc fere sensum habet: 'Caesarem, cum ea res agetur, mihi legationem ultro delaturum, scio.' In quo quid vituperandum sit, equidem non dispicio. Atque ex or. de prov. cons. §§ 41, 42 Caesarem Ciceroni non semel legationem detulisse intellegitur. — De ratione legationum universa v. Hofm.-Sternk. ad Att. IV: 2[6].

Illud denique relinquitur, ut moneam, hunc futuri usum, ubi praesens tempus exspectes, latius patere. Velut Plaut. Mil. 395 *Narrandum ego istuc militi c e n s e b o* Lorenzius in annotatione huic versui ascripta apte confert cum Horatiano illo Ep. I: 14[44] *Optat ephippia bos piger, optat arare caballus: Quam scit uterque, libens, c e n s e b o, exerceat artem,* nec dissimile est hoc, de Or. III: 37[148], ubi Crassus Sulpicio petenti, ut ea, quae ad ipsius orationis laudem splendoremque pertinerent, exponeret, hunc in modum respondit: *Pervulgatas res requiris . . . Sed geram morem et ea dumtaxat, quae mihi nota sunt, breviter exponam tibi; c e n s e b o tamen ad eos, qui auctores et inventores sunt harum sane minutarum rerum, revertendum.* Atque ad Att. XII: 32[3] *Ciceroni velim hoc proponas . . ., ut sumptus huius peregrinationis . . . accommodet ad mercedes Argileti et Aventini . . . P r a e s t a b o nec Bibulum nec Acidinum nec Messallam, quos Athenis futuros audio, maiores sumptus facturos, quam quod ex eis mercedibus recipietur;* ad Qu. fr. III: 1[3] *Mihi plus visum est; sed p r a e s t a b o, sumptum nusquam melius posse poni,* aliis similibus locis eundem futuri usum agnosco atque Plaut. Asin. 454 *. . . argentum . . . mihi si vis denumerare, R e p r o m i t t a m istoc no-*

---

[1] De M. Bruti indole atque ingenio scite iudicavit E. Schwarzius, Hermae t. XXXIII (a. 1898) p. 185 sqq.

mine solutam rem futuram, de quo egi in opusculo 'Fut. im Altlat.' p. 117 sq. 233 sq.

---

ad Att. III: 1 *Quam ob rem te oro, des operam, ut me statim consequare* : *facilius potes, quoniam de provincia Macedonia perlata lex est.*

Quod in omnibus fere editionibus iam inde a Wesenbergi aetate ante *facilius potest* insertum est: *quod eo,* editores nimis diu aequo animo tulerunt. Deest enim in omnibus codicibus; addidit Cratander in ed. sua, de qua egimus p. 98 sq., et Lambinus in textu editionis prioris, cuius lectiones, praesertim cum vir ille satis neglegenter egisse videatur, si codicibus non confirmantur, coniecturarum instar esse et multo cautius quam c adhibendas ostendit Lehmannus Att. p. 88. Ac facile fieri potuit, ut verba illa ab aliquo homine insererentur, qui obiectum *(id* vel *quod)* desideraret; quod hic non magis requiritur quam eis locis, de quibus p. 116 disputavimus, et melius aberit; velut cfr Tusc. disp. I: 34[83] *Quid ego nunc lugeam vitam hominum? Vere et iure possum; sed* . . . II: 17[39] *Quiesce igitur et volnus alliga. Etiamsi Eurypylus posset, non posset Aesopus.* Accedit, quod *eo* minus apte quadrat ad *quoniam,* ubi *quod* exspectes. Quid multa? Omissis inventis fucosis sedulorum criticorum ad sinceram librorum memoriam revertamur.

---

ad Att. III: 10[2] Perssonius, professor Upsaliensis, in scholis emendavit felici eademque lenissima coniectura: *Ecquod tantum malum est, quod in mea calamitate non sit? ecquis umquam tam extemplo, ⟨tam ex amplo⟩ statu, tam in bona causa, tantis facultatibus ingenii, consilii, gratiae, tantis praesidiis bonorum omnium concidit?* Nam quod nunc ex ed. Rom. vulgatur: *ecquis umquam tam ex amplo statu, tam in bona* eqs., id a librorum memoria nimium recedit: *tam extemplo statu tam in bona* M^1m N : *tam extemplo a statu tam in bona* EP Pal. (sed *in tam bona* E) : *extemplo a statu in bona* (utroque *tam* omisso) M^3bdGH : *tam extemplo de tanto statu tam in bona* s.

Simili remedio ad Att. VII: 3[7] utendum esse crediderim (agitur de privatis quibusdam negotiis Ciceronis): *Sed in hoc genere, si modo per rem publicam licebit, non accusabimur posthac, neque hercule antea neglegentes fuimus, sed et amicorum ⟨et alienorum⟩ multitudine occupati.* Editores quidem omnes ad unum *et* post *sed*

sustulerunt quamquam omnibus libris firmatum; mihi quidem *et* illu potius indicio esse videtur, alterum membrum in serie aliqua ex cidisse. Atque constat, Ciceronem verba, quae sunt *amicus (do mesticus, suus,* sim.) et *alienus,* cum alias saepe inter se opposuiss tum vero in designando, quam late paterent officia sua et studia itaque ep. I: 9^{17} de vitae suae cursu Lentulo scribit haec: *tantun enitor, ut neque amicis neque etiam alienioribus opera, consilio, la bore desim.* — pro Mur. 22^{45} *qui non aperte inimici sumus, etian alienissimis in capitis periculis amicissimorum officia et studia prae stamus.* ad Qu. fr. I: 3^{2} *nunc commisi, ut ... mea vox in dome sticis periculis occideret, quae saepe alienissimis praesidio fuisset* 2^{16} *spero fore studiis non solum amicorum sed etiam alienorum u vi resistamus.*

---

ad Att. IV: 4 a^{1} *Perbelle feceris, si ad nos veneris. Offende designationem Tyrannionis m i r i f i c a m l i b r o r u m m e o r u m, quo rum reliquiae multo meliores sunt, quam putaram.* — *meorum* GH OP Pal. Rav. Ant. (= Σ) : *meorum bibliotheca* Mbdm (= Δ) : *meorum bibliothecam* s (fort. s^{2}) N; E deest.

Quod editores contendunt, in M^{1} esse *mirificā in librorum,* M^{2} ita correxisse, ut *mirificam* fieret, vereor, ut verum viderint; primo enim scriptum erat in M *mirificā (librorum),* post addita est *-m* litterula (ab M^{1} vel M^{2}) pro lineola nasali deleta *(mirificam).* Ac ne quis miretur, librarios tam pueriliter correxisse, possum id genus multa ex ipso M afferre, velut ad Att. I: 2^{1} *consulibus* M^{1} : *cōs.* M corr. II: 22^{4} *tum* M^{1} : *tū* M^{2}al'. 25^{1} *quam* diversis compendiis ab M^{1} et M^{2}al'. scriptum est. V: 4^{3} ƀccc M^{1} : DCCC M^{3}. Porro satis constat, *-m,* non *in,* ascriptum esse; in M igitur idem est atque in ceteris omnibus : *mirificam.*

Sequitur, ut videamus, quid sibi velint vocabula *bibliotheca* vel *bibliothecam,* quorum alterum, etiamsi praepositionis illius subditivae nullam rationem habemus, vetustiorem speciem prae se fert, alterum antecedenti accusativo exaequatum esse apparet. Neutrum tamen ad contextum orationis quadrat; omiserunt igitur Bootius, Muellerus, Lehmannus (Att. p. 174), contra Baiterus, Purserus, Tyrr.-Purs. *mirificam in librorum meorum bibliotheca* probarunt, Tyrrellus etiam de transponendis verbis, quo hic ordo efficeretur: *mirificam librorum meorum in bibliotheca,* cogitavit. Qua quidem in re viros doctos fefellit opinio; *bibliotheca* enim nihil aliud est nisi vocabulum ad argumentum epistulae designandum, quod olim ascriptum

erat in margine vetusti alicuius codicis, unde socordia librarii in ipsam epistulam irrepsit. Ac fieri potest, ut in margine codicis Ω fuerit; neglexit igitur is, qui Σ scripsit, vocem illam (nam ex consensu librorum GHOP Pal. Rav. Ant. iure concludere licet, in Σ defuisse), recepit is, qui Δ confecit (ex consensione enim codicum Mbdms elucet, *bibliotheca* in Δ insertum fuisse et quidem nullo sensu); denique veri simillimum est, ex ipso Δ aut ex aliquo codice eius familiae in N migrasse, id quod alias quoque factum esse p. 80 vidimus.[1] De aliis similibus mendis codicis Δ v. p. 68 sq.

Ad eam quaestionem delatus, quae est de verbis margini ascriptis, de universa ratione interpolationum et glossematum pauca addam.[2]

a. Constat librarios vel ipsos codicum possessores haud raro in margine varia annotasse vel supra versus ascripsisse, velut vocabula notabilia, nomina propria, interpretamenta, verba ad argumentum spectantia, id genus alia; velut ex eo codice, unde fluxit M, nonnulla receperunt mercennarii illi librarii, qui M scripserunt, multo plura addiderunt Coluccius quique post eum in eius libri possessionem venerunt (v. p. 37 sqq.). In ceteris libris manu scriptis, quos contuli, eiusmodi additamenta aut omnino desunt aut perraro inveniuntur, velut in P p. 3 r. (ad Qu. fr. I: 1^{16}) *Contra Grecos,* p. 5 (§ 33) *portorium,* p. 13 (II: 4^{3}) *reconcinno,* ibid. (II: 3^{5}) *alius M. Tullius;* in b: ad Att. I: 14^{5} *commultitium*, IV: 9^{2}, 10^{1} *iens. sedecula . vadebam,* XII: 28^{2} *Maeror. Dolor;* et quidem omnia prima manu ascripta. Talia librarii in transscribendo aut omittebant aut suo loco ponebant aut perperam inserebant; velut ad Att. III: 25 Coluccius in margine Medicei ascripsit: *Tabesco,* in s vero, quem codicem ex M non descriptum esse constat, tenor orationis interrumpitur vocula illa interposita: *perspicio nobis in hac calamitate tabescendum esse . Neque enim* tabesco (*sed bonam in partem accipies*), *si ulla spes salutis subesset, tu discessisset.* — ad Att. X: 4^{4} in E haec leguntur: *in illis libris diximus nihil esse bonum* de est *nisi quod honestum nihil malum nisi quod turpe sit,*

---

[1] Nam quod Lehmannus l. l. ex ea re, quod N cum Ms consentit, conclusit, *bibliotheca(m)* iam in Ω ascriptum fuisse, eo consensu nihil probatur, quoniam N non ex ipso Σ descriptus est (v. p. 8 sq.).

[2] Cfr Lindsayus, 'An Introd. to Latin textual Emendation' p. 54 sqq. O. Seyffertus, 'Zur Überlieferungsgesch. der Komödien des Plautus', 'Berl. phil. Woch.' XVI: 252 sqq. 283 sqq. G. Fridericus ad Catulli c. 2^{8}, 47^{2}, 61^{106}. F. Schmidius, 'Zur Krit. u. Erklär. der Briefe Cic:s an Att.' p. 12 sq. Gurlittus, 'Berl. phil. Woch.' XXII (1902): 125 sq. 349 sq. Cfr etiam ea, quae pp. 65 sq. 80 sq. disputavimus.

ubi *de est* quid sibi velit ex M^1 intellegitur: *nihil esse bonum ni quod turpe sit* omissis intermediis verbis. Itaque in aliquo codic vetusto, unde pendet E, haec primo omissa post addita sunt ascript nota: *deest;* denique totum illud additamentum, et nota librarii (ipsa verba Ciceronis, in E transscriptum est. — Sed satis de sii gulis codicibus dictum est; nunc videamus, num in ipso archetyp Ω insiticia fuerint. Ad Att. XII: 5 b sic legendum esse videtu: *Conturbabat enim me* [epitome Bruti Fanniana] *in Bruti epitom Fannianorum* [scripsi] *quod erat in extremo* (Bait., Boot., Muell Tyrr.-Purs., Purs.; Gurlittus Philol. LIX a. 1900 p. 155; v. Muel ad l.). — VII: 13^5 *Aenigma* [Oppiorum ex Velia] *plane non intellex est enim numero Platonis obscurius.* 13 a^1. *Iam intellexi tuum Oppios enim de Velia saccones dicis.* Cfr Schmidtius, 'Briefwechse p. 120 sq. — ad Qu. fr. III: 8^6 *vel quia munus magnificum dedera vel quia facultates non erant,* [vel quia magister (vel quia magiste non erat OPal.)] *vel quia potuerat magistrum se, non aedilem putar*

Atque haec satis certa sunt et editoribus probata; sed nesci an aliis quoque locis eadem emendandi ratio adhibenda sit. Velu adducor ad suspicandum, ad Att. IV: 17^3 *Coepta ferri leviter, in tercessum non invitis, res ad senatum. De ea re ita censuerun comitia primo quoque tempore h a b e r i* Ciceronem scripsisse; *habe censere* Ω. Quod nunc vulgatur: *haberi esse e re* (Bait. duc Bosio) vel *h. esse e re p.* (Iunio auctore Boot., Muell., Tyrr.-Purs Purs.), hoc neque quadrat ad pressioris orationis colorem et plan supervacaneum est, quoniam verbo, quod est *censere,* persaep infinitivus applicatur ut verbis voluntatis (cfr Schmalzius Synt. p. 429), velut ad Att. VII: 12^6 *velim mihi exponas, quid censeas d Terentia et Tullia, Romae eas esse an mecum (eas esse ⟨melius⟩ an* coni. Kayserus). Or. 32^{115} *Ergo eum censeo, qui eloquentia laude ducatur, non esse earum rerum omnino rudem.* de Leg. II: 10^2 *Delubra esse in urbibus censeo.* in M. Ant. VIII: 7^{21} *cum ante legato decerni non censuissem.* Liv. XLV: 12^{13} *cum ius dicere inter cive et peregrinos patres censuerunt.* Si igitur margini archetypi ascrip tum fuit *censere* et quidem propter structuram, quae insolita a notanda videretur, scriptura codicum facillimam habet explica tionem.

Ad argumentum epistulae designandum apposita sunt haec ad Att. XIII: 36 *De Bruti amore vestraque ambulatione etsi mih nihil novi adfers* de fratris filio et contumeliosis litteris ab illo sib missis *sed idem quod saepe, tamen hoc audio libentius* eqs. Verb *de fratris . . . missis* sic, ut scripsi, interposita sunt in bdms, om

M[1]P (E deest), add. M corr. (M[2]?) in marg.; quae eo magis notabilia sunt, quod non ad ep. 36 spectant sed ad ep. 38[1] ... *datur mi epistula a sororis tuae filio* ...; *cuius est principium non sine maxima contumelia.* Erant igitur aliquando in margine posterioris paginae addita, unde huc transmigrarunt. — Ex ipso Ω haec fluxisse videntur: ad Att. V: 12[3] *Cui rei fugerat me rescribere, de struc laterum, plane rogo, de aqua, si quid poterit fieri, eo sis animo, quo soles esse* de aqua; *quam ego ... aestimo plurimi;* fortasse etiam ad Qu. fr. III: 1[23] *T. Anicius dixit sese tibi suburbanum non dubitaturum esse emere. In eius sermone ego utrumque soleo admirari, et te de suburbano emendo, cum ad illum scribas, non modo ad me non scribere, sed etiam aliam in sententiam* de suburbano *scribere, et, cum ad illum scribas, nihil te recordari* de se *de epistulis illis, quas in Tusculano eius tu mihi ostendisti;* etsi *de suburbano* ferri posse videtur.

b. Iam ad aliud genus varietatum attendamus animum, quod quale sit ex ep. ad Qu. fr. I: 1[45] elucet: ... *nihil esse, quod ad laudem attineat, quod non tu optime perspicias* ΔEP Pal. (= Ω) : *pertineat* GH : *pertineat seu actineat* N, quod in Π, i. e. archetypo librorum GHN (v. p. 11 sq.), fuisse manifestum est indeque in N transmissum. Alia id genus ex N annotavit Lehmannus Att. p. 146 sq.; accedunt haec: ad Qu. fr. I: 1[32] *eos perire patiemur*] *patire al' perire* N. II: 4[7] *te prima navigatione transmissurum*] *soluturum al' trasmissurum* N. III: 4[6] *a. d. VIIII K. Nov.*] *decembr. al'. novenbr.* — III: 1[7] *si eum mecum habuero otiosum* Ω, sed *antioscenem l' ociosū* E. — ad Att. VIII: 12[6] *num quem accusent, num cui suscenseant — quid dico num cui? num Pompeio*] ... *dico nunquem vel cui num* ... P. — XI: 16[3] *Si recipior ab his, ... quid agam aut ubi sim, non reperio; sin iactor, eo minus*] *sin iactor aut reicior* Crat., Lamb. in marg. — XIII: 25[3] *Male mi sit, si umquam quicquam tam enitar. Ergo ne Tironi quidem dictavi* Schuetzio auctore recc. edd., probantibus Schichio, 'Jahresber. d. phil. Vereins' XXX (1904) p. 383, Sternkopfio, Ann. Burs. CXXXIX (a. 1908) p. 54, Schmidtio, 'Briefwechsel' p. 513 ann. : *ergo at ego* ex *d' ego ergo* ortum Mm (ceteros libros nondum inspexi; E deest), cfr Bootius ad h. l.

Omissis notis *l'*, *al'*., sim. iuxta collocantur variae lectiones velut ad Att. I: 13[3] *vereor ne hoc serpat longius*] latius *longius* N. I: 21[5] *ut iret* ad(d)iret *ad Bibulum* N Add. VI: 5[3] *in tanto* dolore *maerore suo* N. V: 9[2] *maneat suo* loco *statu* GH. VIII: 11 D[1]

litteras dedissem *misissem* P. ad Qu. fr. III: 8[5] *Serrani Domestic* M[3]sΣ : *serranido mestitii* M[1]m : *serranni domestici* mestitii bd. ad Qu fr. II: 13[3] *humaniter etiam gratias mihi agit* M corr. bdms HO[2]P : *eti am* gratiam *gratias* M[1]EGN : gratiam *etiam gratias* O[1]Pal., v. p. 81. — Quae cum ita sint, mihi quidem videtur Wesenbergius (Em. Alt p. 90) testimonio codicis Faërni F nimium tribuisse ad Att. II: 9 *Nunc audi quod quaeris*] *audi ad id quod* F, quod ex his : *aud quod* (cfr ad Att. VII: 1[2] *Haec fere sunt in illa epistula. Nun audi reliqua*) et *ad id quod* (cfr ad Att. III: 8[3] *Nunc ad ea, qua scripsisti*) conflatum esse videtur; neque potest solus ille code ceterorum consensum aequiperare; v. pp. 4 et 87. Cfr etiam an notationem Muelleri ad h. l.

Atque haud scio an verum recuperaverit Housmannus ad Qu fr. II: 10[1] *Nam pridie Idus, cum Appius senatum infrequentem coë gisset, tantum fuit frigus, ut pipulo coactus sit nos dimittere* ('Class Rev.' XVI: 443). Nam quod codices praebent: *populi convicio* quid sibi velit, equidem non intellego, nisi quod ex hoc: *pipul convicio* proclivi errore ortum esse videtur. Iam vero *pipulo* pro *convicio* poni non semel testantur grammatici et glossographi, u Varro de L. L. VII: 103, *in Aulularia: 'pipulo te differam ante aedis' id est convicio, declinatum a pipatu pullorum.* Non. 152,3 : *pipulo pro convicio.* C. G. L. V: 133. 473. 607. 630. His igitur gradibus cor ruptela serpsisse videtur: *pipulo* > *pipulo* ^{convicio} > *pipulo convicio* > *populi convicio* Etiam ad Att. I: 14[5] pro *convicio* restituendum est *commul(ti)cium* cum Ω ; *convicium* M[4], vulg., v. p. 56.

Hoc igitur loco veri simile est, primitivam scripturam defor matam esse; est autem, ubi nimium indulserint delendi cupiditat editores, velut ad Att. IV: 2[6] *Quod nisi vellem ..., votivam lega tionem sumpsissem ...; sic enim nostrae rationes utilitatis meae postulabant,* 'die von uns angestellten Erwägungen des mir Ange messenen', Sternkopfius ad l. probante Plasbergio 'Woch. f. kl Phil.' XVI: 321 : *utilitates meae* Ω (sed *utilitatis meae* H, quod emendatonis instar habendum esse G indicio est: *-ates;* in Ω igitur terminatio adaequata erat voci *rationes*): om. Wes., Muell., alii sine iusta causa, nam si interpretandi gratia ascripta essent verba illa hanc saltem collocationem exspectares: *meae utilitates.*

ad Att. X: 8[7] ... *id regnum vix semenstre esse posse. Quod si me fefellerit, feram, sicuti multi ... tulerunt, nisi forte me Sar danapalli vicem in suo lectulo mori malle censueris quam exsilio Themistocleo,* ubi verba *in suo lectulo* Nipperdeio auctore (Opusc.

p. 467) induxerunt Bootius, Purs., Muell.; alii *in meo lectulo* scribi iusserunt, et quidem utrumque praeter necessitatem, quoniam in eiusmodi comparationibus et membra persaepe confunduntur et uberior esse solet oratio; cfr Vahlenus, Opusc. II: 192 sq., Plasbergius ad Parad. Stoic. 37, ad Luc. 29^{94}, 'Woch. f. kl. Phil.' XVI: 321 sq.

Non numquam videmus primitivam scripturam exturbatam esse et aliam vocem in eius locum irrepsisse, ut ad Qu. fr. II: 3^{2} *omnia maledicta, versus denique*] *etiam* E, v. p. 45; ad Att. II: 18^{2} *existimatur laute fecisse*] *recte* M^{1}ms N, v. p. 81 sq.; ad Brut. I: 1^{1} *per suos potius iniquos*] *inimicos* bd Pal., A^{2}c; ad Qu. fr. II: 9^{1} *epistulae nostrae debent interdum halucinari*] *vaticinari* O^{1}P Pal. $= \Phi$; pluribus verbis una vox explicata est ad Brut. I: 1^{1} *Nihil enim mihi minus hominis videtur quam* . . .] *dignum homine libero* Pal. Cfr etiam exempla p. 65 sq. allata. Imprimis notandus est hic locus, ad Att. IV: 18^{5} *Tu, si aut amor in te est nostri ac tuorum aut ulla veritas, aut etiam si* . . .] vulg. = N : *noster* P Pal. Rav. $= \Phi$ (quod ferri potest, cfr de Off. I: 39^{139} *habenda ratio non sua solum, sed etiam aliorum*) : *non* ΔG : om. H : *l'nrm* E, quod ex hac varietate lectionum repetendum est: *nri* (supra scr. *l'nrm*).

Sed si nulla est codicum discrepantia, res perdifficilis est ad diiudicandum, cum ultra coniecturae probabilitatem progredi non possit divinatio; haec duo tamen liceat exempli causa proferre. ad Qu. fr. I: 2^{14} *Aesopi* . . . *Licinus servus tibi notus aufugit. Is Athenis* . . . *fuit; inde in Asiam venit. Postea Plato quidam Sardianus* . . ., *cum eum fugitivum esse postea ex Aesopi litteris cognosset, hominem comprehendit et in custodiam Ephesi tradidit, sed, in publicam vel in pistrinum, non satis ex litteris eius intellegere potuimus.* Ubi primum displicet *vel* in Mbdm(= Δ) GHNO Pal. (= Σ) et c traditum, quod in archetypo fuisse manifestum est (E deest); *an* sP Rom., vulg., etiamsi verum est, tamen coniecturae loco habendum. Porro Platonem quidem, qui Licinum comprehensum alicui custodiendum tradidisse narratur, aut in publicam custodiam aut in privatam (cfr pro Sulla 15^{42} *tabulae privata custodia continerentur*) eum tradidisse consentaneum est; in pistrinum vero tradere, nisi forte contraxit Cicero orationem, de domino dicitur aut summum de eo, qui servum custodiendum acceperat. Sed librario cuidam facile potuit in mentem venire, apud Romanos pistrinum fuisse quasi custodiam privatam (cfr Plaut. Most. 17 *Quod te in pistrinum scis actutum tradier,* Ter. Andr. 199 . . . *te in pistrinum, Dave, dedam usque ad necem,* et sic saepius de animadversione dominorum in

servos). Utraque difficultas igitur facillimam habet explicationem, si in aliquo codice vetusto scriptum fuisse putamus velut hoc: *sed*
l' in pistrinum
in publicam an in privatam.

ad Qu. fr. II: 7[1] *Placiturum tibi esse l. II suspicabar; tam valde placuisse, quam scribis, valde gaudeo. Quod me admones de* non curantia *suadesque, ut meminerim Iovis orationem, quae est in extremo illo libro, ego vero memini et illa omnia mihi magis scripsi quam ceteris. Sed tamen postridie . . . veni ad Pompeium* eqs. Quid sibi velint verba *non curantia,* admodum dubium est, neque satis aptae ad persuadendum sunt emendationes *nostra Urania* Mal., Wes., Purs., *nostra curatione* Gurlittus, Mus. Rhen. LVI (1901) 596 sqq.; tenori quidem orationis magis consentaneum est, Atticum vel potius Iovem Ciceroni suasisse, ut se a re publica removeret et ad studia litterarum referret; v. paulo infra: *Si perficiunt, optime; si minus, ad nostrum Iovem revertamur.* V. Tyrr.-Purs. ad h. l. Quod idem Sternkopfio (Ann. Burs. CXXXIX: 55) veri simile videtur: 'Ich bin mit Tyrr.-Purs. der Ansicht, dass es sich um eine Mahnung zur Abkehr von politischen Dingen handelt, und denke an ἀδιαφορία, wie denn schon Orelli bemerkte: *non curantia* videtur mala interpretatio vocabuli alicuius Graeci'. Equidem de ἀπραγμοσύνῃ cogitavi, quod versioni Latinae apte respondet quodque de otio et vita a rebus publicis remota persaepe poni constat.

c. Sequitur, ut de nominibus propriis pauca dicamus, quae si abundare videntur tollere solent editores in sententiis, qualis est haec ad Att. I: 19[8] *ut crebro mihi vafer ille Siculus insusurret Epicharmus cantilenam illam suam,* ubi nomen poetae induxerunt Man., Bait., Wes., Boot., Hofm.-Sternk., egregie defendit Vahlenus Op. II: 129 collatis et aliis locis et Tusc. disp. IV: 2[3] *gravissimus auctor in Originibus dixit Cato, morem apud maiores hunc epularum fuisse;* v. etiam p. 403 annot.; Plasbergium ad Ac. I: 12[46]. Nempe solitus est Cicero in eiusmodi enuntiatis sermonem variare, ut aut praeter necessitatem nomen adderet aut quod satis notum esset omitteret, ut Lael. 24[89] *Sed nescio quo modo verum est, quod in Andria familiaris meus dicit;* de Or. II: 10[39], de Leg. II: 1[3]. Itaque de sen. 7[24] '*Serit arbores, quae alteri saeculo prosint*', *ut ait Statius noster in Synephebis* scripsit, Tusc. disp. I: 14[31] de eadem re *Serit . . . prosint, ut ait in Synephebis,* ubi quicquam addi vetat Vahlenus de Leg. I: 7[21]. — ad Att. VIII: 5[1] *Cum ante lucem . . . litteras ad te de Dionysio dedissem , vesperi . . . venit ipse Dionysius,* ubi posteriore loco nomen del. Bootius, satis defenditur his: ad Qu. fr. I: 2[11]

Flavi rem tibi commendarunt, et ipse ad te scripserat Flavius, et ego certe : *Flavius* om. bd. Tusc. disp. III: 32[77]. II: 7[17]. de div. I: 54[123]; cfr Vahlenus, Op. II: 130 annot. — Idem cadit in ep. XIII: 21[2] *commendo tibi . . . C. Avianium Hammonium . . . Itaque peto a te, ut eum Hammonium sic tueare, ut* eqs.; pronominibus enim, praesertim formis pronominis *is,* saepe solet nomen addere, ut ad Qu. fr. III: 1[3] *aiebat aqua dempta et eius aquae iure constituto* . . . 5[4] *ut ego me non multa consolatione leniam; sed illa erit consolatio maxima, si* . . . ad Att. VI: 3[5] *Is a me tribunatum cum accepisset . . ., scripsit ad me, se uti nolle eo tribunatu.* Luc. 8[23] . . . *ex sese habet constantiam; ea autem constantia si* . . . ad Qu. fr. I: 1[7]. 1[25]. 1[34]. pro Mil. 27[74]. pro Mur. 14[31]. de Leg. II: 6[14]. 23[58]. Tusc. disp. V: 20[59]. 34[97]. V: 17[51]. de Fin. III: 5[16]. de Off. I: 44[158]. Par. Stoic. § 48 bis; cfr Vahlenus de Leg. II: 6[14], Op. II: 354. Itaque sine iusta causa posterius *Hammonium* sustulerunt Man., Bait., Wes., Tyrr.-Purs. Neque tamen haec ita dico, quasi ignarus sim, nomina propria hic illic perperam inserta esse a librariis, velut ad Brut. I: 17[1] *eo meliore condicione Cicero . . . vituperabit, quam Bestia et Clodius repehendere illius consulatum soliti sunt*] *illius Ciceronis consulatum* Pal., quod in archetypum quoque non numquam cadere veri simile est, sed in eiusmodi rebus diiudicandis videndum est, ne nostro loquendi usu decepti deleamus, quae codicum testimonio et ipsius scriptoris consuetudine satis confirmantur.

d. Extremum illud est, ut de abundantia orationis mentionem faciamus, qualis est ad Att. IV: 1[5] *ut nemo fuerit, qui mihi obviam non venerit praeter eos inimicos, quibus id ipsum, se inimicos esse, non liceret aut dissimulare aut negare,* ubi verba *se inimicos esse* fuerunt, qui Ciceroni abiudicarent (Corr., Bait., Bootius 'apertum glossema', ut ait, reiciens; Fr. Schmidtius l. s. l.). Neque negamus, eam sententiolam abesse potuisse, ut ad Att. IV: 8 a[4] *Ubi nihil erit, quod scribas, id ipsum scribito* (sc. nihil esse); XI: 16[5] *velim ad me scribas . . ., etiam si nihil excogitas. Id enim mihi erit pro desperato* (*id* = te nihil excogitare); hoc contendimus, viros illos ipso Cicerone delicatiores fuisse, qui et alias pronominibus addiderit, quae opus non erant, et quidem plenioris efficiendae orationis causa, ut Ac. I: 12[45] *Itaque Arcesilas negabat, esse quicquam, quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset, ut nihil scire se sciret* (cfr Plasbergius ad h. l.). de N. D. III: 10[26] . . . *negat esse in omni natura quicquam homine melius; id autem putare quemquam hominem, nihil homine esse melius, summae*

arrogantiae censet esse. ad Qu. fr. II: 4[1]; ad Att. X: 8[5] (*turpiter facere*); de N. D. II: 9[24]. 37[93].

Iam si eorum, quae supra disputavimus, summam subducimus, satis intellegi posse putamus, in singulis libris manu scriptis non numquam ascripta esse vocabula interpretandi causa, in ipso archetypo multo rarius, denique ad res controversas diiudicandas necesse esse cum codicum rationem tum vero ipsius Ciceronis dicendi scribendique consuetudinem universam diligenter perpendere.

Quod Leo, Ind. lect. Gotting. 1892 p. 10 acute arguteque coniecit, ad Att. V: 11[3] legendum esse: *Theophani facile persuasi, nihil esse melius quam illud, nusquam discedere,* id meliorum codicum testimonio verum esse comprobatur: *melius quam illud nusquam* NP = Σ (nam EGH Pal. deficiunt; v. p. 14): *melius quam illud nusquam quam illum nusquam* M[1]bd (M[2]c[s] *illud* ascripsit supra *illum*): *melius quam illud nusquam illum* m: *melius quam illum nusquam* s, vulg. Videtur igitur in Δ *quam illud nusquam* bis scriptum fuisse, quem ad modum 17[1] pro eo, quod est *ut nullus terruncius,* in H scriptum est *ut nullius ut nullius te rectius,* VI: 1[2] *sed modo suscenset modo suscenset et modo gratias agit* M[1]d praebent; ac facillime potuit posterius *illud* in *illum* mutari (i. e. Pompeium), ne infinitivus subiecto careret. Ad exempla a Leone allata haec addo: ad Att. VI: 4[1] *Ibi me multa moverunt, magnum . . . bellum, magna . . . latrocinia, mihi difficilis ratio administrandi, illud autem difficillimum, relinquendus erat ex S. C., qui praeesset.* 3[2]. VII: 13[1] *qui, ut aliud nihil, hoc tamen profecit, dedit illi dolorem.* Itaque Schmidtio assentior, nihil desiderari XIII: 3[1] *Illud enim non accipio in bonam partem, ad me refers,* ubi ceteri omnes Cratandro duce *quod* ante *ad me* addiderunt.

---

ad Att. VII: 1[1] *Sin iam illas* (i. e. superiores litteras) *accepisti, scis me . . . tuas . . . litteras accepisse, conturbatum, quod cum febre Romam venisses, bono tamen animo esse coepisse, quod Acastus ea, quae vellem, de allevato corpore tuo nuntiaret, cohorruisse autem me, quod tuae litterae de legionibus Caesaris afferrent, et egisse tecum, ut videres, ne . . ., et . . . cur fratrem provinciae non praefecissem, exposui breviter.* — *cohorruisse* M[2]mP: *corruisse* s: *cum horruisset* M[1]bdHN (E abest) — *me quod* Ω exceptis bd (sed

me quam N), c, Bait., Boot.: *me quotidie* bd: *me* ⟨*eo*⟩ *quod* Tyrr.-Purs., Purs.: *eo quod* (om. *me*) Kochius 'Phil. Anz.' 1874 p. 495 sq., Muell.

Recentiores editores a librorum memoria sine iusta causa recessisse manifestum est. Primum enim concinnitatem sententiarum causalium ex particula *quod* pendentium non oportet turbare. Nam quod *eo* abesse non posse sibi persuaserunt ('*eo* . . . is quite necessary to the construction', Tyrr.-Purs. ad l.), nihil requiri apparet, quoniam *afferre* absolute profertur, ut ep. III: 10^{1} *Cum est ad nos allatum de temeritate eorum, qui* . . . Brut. 1^{1} *Cum* . . . *mihi de Q. Hortensi morte esset allatum* (cfr ad Att. VII: 25 *nemo huc ita affert,* pro Mil. 18^{48} *illum, qui dicatur de Cyri morte nuntiasse,* id genus plurima). Atque haud scio an pronomen demonstrativum, etiamsi *quod* pro relativo habendum esset, vix desideraretur, si quidem apud Plautum saepius, apud Varronem et Ciceronem haud raro auditur,[1] ut Poen. 764 *Ita mihi renuntiatumst* (sc. *ab iis*), *quibus credo satis.* Most. 522 *Sed tu, etiamne astas nec* (sc. *iis*), *quae dico, obtemperas?* Varr. R. R. III: 7^{8} *imitandum* (sc. *iis*), *qui habent.* I: 59^{2} *cur non* (sc. *eo* vel *id*), *quod natura datum, utantur.* Cic. de inv. II: 5^{19} *Hic et exemplorum commemoratione* (sc. *eorum*), *qui simili impulsu aliquid commiserint* . . . 22^{68} *Pactum est, quod* (sc. *ab iis*), *inter quos convenit, ita iustum putatur, ut* . . . Ep. III: 3^{2} *Qui cum venerit, quae primum navigandi nobis facultas data erit,* (sc. *ea*) *utemur.* de re p. II: 29^{51} *non novam potestatem nactus sed* (sc. *ea*), *quam habebat, usus iniuste* . . . ad Att. VII: 11^{5} *Vult enim me Pompeius esse, quem tota haec Campania* . . . *habeat* ἐπίσκοπον. ad Brut. I: 16^{2} (Bruti ep. ad Cic.) *An hoc pro beneficio habendum est, quod se quam Antonium esse maluerit, a quo ista petenda essent?* ubi Muellerus haec: 'post *Antonium* intercidisse videtur *eum.*' — ad Qu. fr. I: 1^{15} *Quam ob rem qui potes reperire ex eo genere hominum, qui pecuniae cupiditate adducti careant iis rebus* . . . 'The ellipse of *eos* is very awkward . . . We might then either correct *hominum* to *homines,* or insert *homines* after *hominum*' Tyrr.-Purs.; quod utrumque supervacaneum est. ad Brut. I: 4^{2}. — ad Qu. fr. I: 1^{13} *Sint aures tuae, quae id, quod audiunt, existimentur audire, non in quas* . . . *insusurretur* Muellerus ante *quae* addidit *eae* idque Tyrr.-Purs. et Pursero probavit, etsi hic non magis requiritur quam ad Att. IV: 17^{1} *Neque enim sunt epi-*

[1] Cfr Bx-Niem. et Lor. ad Mil. 1077. Krumbiegelius, De Varr. scrib. gen. quaest. p. 42 sq. Ströbelius, Tull. p. 19 sq. Plasbergius ad Tim. 4^{12}. Vahlenus Op. I: 40. Lehmannus, 'Woch. f. kl. Phil.' III: 373.

stulae nostrae, quae si perlatae non sint, nihil ea res nos offensura sit, ubi Lambino duce (*enim* ⟨*eae*⟩ *sunt*) editores omnes ad unum vario loco *eae* inseruerunt (post *enim* Bait., Tyrr.-Purs., Purs., post *sunt* Boot., post *nostrae* Muell.), quod ipsorum iudicio probaretur magis sectantes quam ipsius Ciceronis loquendi consuetudini morigerantes.

Sed redeat eo, unde aberravit, oratio. Quod *me* ante *quod* aut sustulerunt aut ita explicarunt, quasi inter se opponeret suam et Attici febrem (Tyrr.-Purs.), vereor, ne rem apertam et simplicem potius implicaverint; nam nihil aliud fecit nisi voculam paucorum versuum intervallo repetivit, quae res eo minus miranda est, quod ipsa narratio mutata constructione paulatim in directam abit. Velut constat, *ut* perspicuitatis causa nonnumquam repeti[1] interiectis pluribus verbis in sententiis, qualis est ad Att. III: 5 *Tantum te oro, ut, quoniam me ipsum semper amasti, ut eodem amore sis; ego enim idem sum,* ubi posterius *ut* om. Φ, Bootius; retinuit cruce ascripta Wes., in *nunc* mutavit Muellerus, etsi non magis opus est *nunc* adverbio propter oppositum *semper* quam verbi causa *tu* pronomine, cum *ego* sequatur, v. supra p. 134, Lehmannus, Quaest. Tull. 64 sq. — Accusativum pronominis personalis subiecti vice fungentis iteratum invenimus ad Qu. fr. III: 4^{3} *reus se dixit, si in civitate licuisset sibi esse, mihi se satisfacturum* Ω, nisi quod posterius *se* om. s, prius delevit M^{4} (v. p. 56), om. edd. — Ep. XI: 5^{3} *Quam ob rem velim tibi ita persuadeas, me cum rei p. causa, quae . . ., tum quod . . . velim, me tuis optimis consiliis . . . nullo loco defuturum*: posterius *me* om. edd., defendit Rothsteinius in scholis a. 1908 habitis. — Par. Stoic. 3^{13} *vel ipsi iudicent, utrum se horum alicuius, qui . . ., an C. Fabricii, qui . . ., se similes malint.* Cfr Plasbergius ad h. l. — pro Planc. 35^{86}. pro Clu. 24^{66}. — de Or. II: 80^{328} *narratio . . .; et est et probabilius, quod gestum esse dicas, cum . . . exponas, et multo apertius ad intellegendum est, si . . .,* ubi posterius *est* fuerunt, qui infestarent. — Quid, quod adverbia, quale est *umquam,* non numquam dupliciter posuit, ut de Leg. III: 9^{21} *Quis umquam tam audax, tam nobis inimicus fuisset, ut cogitaret umquam de statu nostro labefactando,* ubi Vahlenus pro Sest. 13^{30} et ad Att. X: 8^{9} conferri iussit.

Circumspectis igitur omnibus rebus, quae momentum faciunt, *me quod* ad Att. VII: 1^{1} verum esse ideoque integrum relinquendum apparet.

[1] Exx. coll. Bx-Niem. ad Plaut. Trin. 141. Haulerus ad Ter. Phorm. 154. Hofm.-Sternk. ad Att. III: 5. Madv. de Fin. III: 13^{43}. Muell. ad Or. in Cat. III: 2^{4}.

ad Att. VII: 1^{9} *Scripsi ad Terentiam, scripsi etiam ad ipsum, me, quicquid possèt nummorum, ad apparatum sperati triumphi ad te redacturum.* — *posset* Ω (excepto s), c : *possem* s, vulg.

Equidem nihil causae esse existimo, cur a codicum memoria recedamus, quoniam *posse* iam inde a Plauti et Terenti temporibus absolute, ut aiunt, saepenumero ponitur, cuius structurae pauca hic exempla ex Cicerone dabo magis in transitu annotata quam dedita opera collecta.[1] Luc. 43^{132} *nam aut Stoicus constituatur sapiens aut veteris Academiae — utrumque non potest.* Ep. I: 7^{7} *non ut nostrae dignitatis simus obliti, sed ut habeamus rationem etiam salutis. Poterat utrumque praeclare, si esset fides.* de N. D. II: 18^{48} *Itaque nihil potest indoctius, quam quod a vobis affirmari solet* (*potest esse* dett.). ad Att. V: 1^{3}. — XII: 40^{2} *Ne doleam? Qui potest?* Luc. 26^{82} *Quid potest sole maius, quem ...?* (*esse* post *potest* add. V, vulg.). — ad Att. XI: 7^{3} *aliqui sint ex eis aut, si potest, omnes, qui salutem anteponant.* 14^{3}. II: 24^{5}. X: 4^{1}. — XII: 23^{1} *enitar, si quo modo potero, ut praeter te nemo dolorem meum sentiat, si ullo modo poterit, ne tu quidem.* Tusc. disp. I: 11^{23}. — Ep. V: 19^{2} *sin idem placebit atque eodem, nec continuo poterit, omnia tibi ut nota sint, faciam* (*poteris* Crat., Wes.). ad Att. XIII: 33^{2} (*poteris* Schmidtius 'Briefwechsel' p. 303 ann. 1). V: 13^{3}. — Ep. I: 2^{4} *dignitatem nostram, ut potest in tanta hominum perfidia, retinebimus.* VIII: 6^{4} (in ep. Caeli) *quoquo modo potuit.* — Ac. I: 7^{29} *necessitatem appellant, quia nihil aliter possit atque ab ea constitutum sit.* — ad Att. VI: 8^{4} *ita tamen properabamus, ut non posset magis.* Ep. XIV: 1^{4}. — ad Att. V: 17^{4} *incumbe in eam rem et ad me scribe, quid et possit et tu censeas.* — ad Att. II: 7^{3} *Incende hominem, amabo te, quod potest* Ω, Tyrr.-Purs. : *quoad potest* Pal., Bait., Bootius : *quod potes* codd. Mal., Wes., Muell., Purs. (de figuris *quod* et *quoad* cfr Schmalzius Synt.^{4} p. 580). de lege agr. II: 7^{19} *assecutus est, ut id, quoad posset, quoad fas esset, quoad liceret, populi ad partes daret.* ad Att. IV: 10^{2} *nostram ambulationem et Laconicum ... velim, quod poterit, invisas* Tyrr.-Purs., Purs. : *quod* Graevius, vulg. : *quo* Ω excepto E : *cum* E, Bait., Bootius; *poterit* Ω praet. sE : *poteris* sE, Bait., Boot., Muell. coll. locis, qualis est ad Att. X: 2^{2} *Tu tamen, quod poteris, nos iuvabis.* — ad Att. XIV: 14^{2} *Nam Liberalibus quis potuit in senatum non venire? Fac id potuisse aliquo modo; num etiam ...*

---

[1] Cfr Brix.-Niem. ad Men. 435. Lor. ad Mil. 182. Haul. ad Phorm. 303. Madv. de Fin. IV: 18^{48}. V: 28^{81}. Tyrr.-Purs. ad ep. I: 2^{4}. ad Att. IV: 10^{2}. Antonius, 'Studien' II: 91 sqq.

libere potuimus sententiam dicere? Luc. 38^{120} *Negas sine deo posse quicquam* (*esse* add. Davisius). — ad Att. IV: 13^{1} *velim scribas ad me quantum pote* (*potes* Rom., Wes.: *potest* Tyrr.-Purs.). XIII: 38^{1} ...*negat approbare. Hoc quicquam pote impurius?* (*potest esse* ed. Iens.).

Sed satis iam exemplorum est, ad quae quin alia multa addi possint, non dubito; ex quibus hoc satis elucet, Ciceronem verbum, quod est *posse,* aut personaliter posuisse aut impersonaliter, non numquam structuram in sententiis contiguis variasse, in deterioribus denique libris manu scriptis aut ab editoribus genuinam ac sinceram memoriam haud raro infuscatam esse. Itaque non abest suspicio, quin crebrius etiam, quam ex nostris codicibus concludere licet, impersonali modo usus sit; quo minus potest probari eorum emendandi ratio, qui hanc loquendi consuetudinem vel vetustatis fide ac sanctitate commendatam violantes omnia ad suae libidinis potius quam Latini sermonis normam dirigere instituunt.

---

ad Att. VII: 8^{4} *Quod putasti fore, ut, antequam istuc venirem, Pompeium viderem, factum est ita; nam VI Kal. ad Lavernium consecutus est* codd., Bait.: *me* ante *consecutus est* inseruerunt c, Bootius, Muell., Tyrr.-Purs., Purs., quod non magis necessarium videtur quam v. c. Ter. Heaut. 905 *abiit Clitipho ... Bacchis consecuta est ilico.* Or. in M. Ant. X: 4^{8} *eundem* (i. e. Brutum) *vidi postea Veliae cedentem Italia ... Cassi classis paucis post diebus consequebatur.* Tusc. disp. V: 34^{97}, al.

---

ad Att. VIII: 11^{1} *sed vereor, ne ... dedecori sim studiis ac litteris nostris. Consumo igitur omne tempus considerans, quanta vis sit illius viri, quem nostris satis diligenter, ut tibi quidem videmur, expressimus.* — *nostris* $M^{1}EP$: *nostris libris* M^{2}bdms, c, vulg.

Hunc locum ex eis esse iudico, ubi ex consensu $M^{1}EP$ de archetypi Ω memoria probabiliter concludere liceat (v. pp. 63, 74 sq.); quam veram esse etiam Ciceronis loquendi consuetudo comprobat, qui sic solet *mea* vel *nostra* usurpare, velut Lael. 1^{4} *mea legens sic afficior, ut ...* (agitur de libro, qui Cato Maior inscribitur). de Fin. I: 3^{7}. de Off. I: 1^{2} *sed tamen nostra legens ... de rebus ipsis utere tuo iudicio, orationem autem Latinam efficies legendis nostris pleniorem.* Ac. I: 2^{8} *in illis veteribus nostris ... multa admixta ex intima philosophia.*

---

ad Att. VIII: 11 D[7] *Deinde suscepto bello, cum pacis condiciones ad te afferri a teque ad ea honorifice et large responderi viderem, duxi meam rationem.* — *a teque* M^1EP : *atque* M^2bdms — *ad ea* Ω, c, Bootius, Tyrr.-Purs. : *ad eas* Bait., Muell., Purs. Corrado auctore.

Equidem archetypi memoriam *ad ea* tuendam esse censeo, quoniam neutrum iam inde a Plauti aetate sic ponitur ad universam notionem significandam, velut Poen. 1015 *Ligulas canalis ait se advexisse et nuces, Nunc orat, operam ut des sibi, ut ea veneant.* — de Div. II: 57[117] ... *ut eam* (i. e. mentem) *providam rerum futurarum efficiat, ut ea non modo cernat ... sed etiam pronuntiet.* de N. D. II: 3[7]. 5[15]. — ad Att. II: 9[1] ... *tuos mirificos cum Publio dialogos cum eos, de quibus scribis, tum illum, quem abdis et ais longum esse, quae ad ea responderis, perscribere.* — Sing., Catonis de agri cult. 5[7] *Scabiem pecoris et iumentis caveto: id ex fame et si impluit fieri solet.* Plaut. Stich. 711 *Modo nostra huc amica accedat: id abest, aliud nil abest.* Cic. Ep. IX: 1[2] *ignoscunt mihi* (sc. libri), *revocant in consuetudinem pristinam teque, quod in eo permanseris, sapientiorem quam me dicunt fuisse* (*in ea* Lamb., Wes., Bait.). de Leg. I: 16[45] *Est enim virtus perfecta ratio, quod certe in natura est.* — Caes. b. G. I: 44[6] *amicitiam populi Romani sibi ornamento et praesidio, non detrimento esse oportere, idque se ea spe petisse.* Cfr Madvigius de Fin. III: 6[21]. G. Fridericus ad Catull. 10[14]. Seyff.-Muell. ad Lael. 8[27]. Krebsius-Schmalzius Antib. I p. 539.

Index rerum et verborum.

Corrigenda: p. 8 v. 5 Conv. Suppr. — p. 15 v. 3 correctiones. — p. 33 v. 29 assignanda. — p. 42 annot. 1 addendum: Cfr tamen Mendelssohnius, Ann. phil. 1884: 849 sq. — p. 143 v. 32 add.: Cfr etiam ad Att. VIII: 12, 6 *Volo etiam exquiras,* ... *num* q u e m *accusent, num cui suscenseant — quid dico num cui? num Pompeio.*

Index locorum, de quorum scriptura disputatur.

L

cum iam tibi a sia sic unicuiq; sua doct^9
nota ee debeat. cū ad tuā sūmā pru

Cod. Ambros. E 14 inf. (E) fol. 156 r. — Ep. ad Qu. fr. I: 1,45—2,6.

accedimus non ueritate sc
mea iudicia perscripsi: qu
cognouit. et cū interueni
sentare potuit sermones in
xime mouere solebat. cū
prudentiae postularet. q
autē ipm̄ (secure) ἀσφαλῶς mecu
deterrui. quibus in rebu
iudicas. tamen species ipā
Atq: hoc sic habeto nihil ta
omnē sermonū eoꝝ qui
potuisse iratos tuae uerita
non defuisse. Nunc resp

accedimus non ueritate solum sed etiā fama uteretur sermones ad te aliorū semp non mea iudicia perscripsi : qui qdem q̄ frequentes essent & q̄ graues aduentu suo statius ipse cognouit · & enī interuenit nō nullorū querelis que apud me de illo ipo habebantur : & sentire potuit sermones iniquorū in suū potissimū nomen erumpere . quod autē me maxime mouere solebat · cū audiebam illū plus apud te posse q̄ grauitas illius etatis imprudentie postularet · q̄ multos enī mecū egisse putas ut se statio cōmendarē : q̄ multa autē ipm (securus) ἀσφαλως mecū in sermone ita potuisse id mihi non placuit · monui suasi : deterrui . quibus in rebus etiā si fidelitas summa est · quod prorsus credo quoniā tu ita iudicas · tamen species ipā tam gratiosi liberti aut serui dignitatē habere nullam potest. Atq: hoc sic habeto nihil tamen nec temere dicere · nec astute reticere debeo · materiam omnē sermonū eorū qui de te detrahere uelint · statiū dedisse . antea tantū intelligi potuisse iratos tue ueritati esse non nullos · hoc manumisso iratis quod loquerentur non defuisse. Nunc respondebo ad eas epistolas quas mihi reddidit . l · cesius · qui quoniam ita te uelle intelligo nullo loco deero · quarū altera est de blande zeuxide quē scribis certissimū matricidam · tibi a me intime cōmodari . qua de re et de hoc genere toto ne forte me in grecos tam ambitiosum factū esse mirere pauca cognosce. Ego cū grecorū querelas nimiū ualere sentirē propter hominū ingenia ad fallendum parata quoscunq: de te queri audiui quacūq: potui ratione placaui · Primū dionysitas qui erant inimicissimi mei leniui : quorū principē hermippū non solū sermone meo sed etiā familiaritate deuinxi · Ego apamensem ephisiū · ego leuissimū hominē megaristiū antandriū · ego niciā smirneū · ego nugas maximas omni mea comitate complexus sum · nymphontē etiā colophonium : que feci omnia non qd me aut hi homines aut tota natio delectaret · ptesum est leuitatis assentationis · animorū nō officiis sed temporibus seruientiū · sed ut ad zeuxim reuertar cum isdem castelli sermone secum habito que tu scribis ea ipsa loqueretur obstiti eius sermoni : & hominē in familiaritatē recepi · Tua autē que fuerit cupiditas tanta nescio qd scribis cupisse te quoniā smyrne duos smursos insuisses in culleū in supiore parte prouincie edere exemplū seueritatis tue : & idcirco zeuxim eligere omni ratione uoluisse · ultra quē adductū in iudiciū fortasse an dimitti non oportuerit ; conquiri u̅ & elici blanditiis ut tu scribis ad iudiciū necesse non fuit · eū presertim hominē quē ego & ex suis ciuibus & ex multis aliis quotidie magis cognosco nobiliorem esse prope q̄ ciuitatē suam . At enim grecis solis indulgeo · qd · L · ceciliū nonne omni ratione placaui : quē hominē : qua ira : quo spiritu : quem deniq: preter tusteniū cuius causa sanari non potest non mitigaui : ecce supra caput homo leuis ac sordidus sed tamen equestri incessu tacenus etiā is lenietur · cui tu in patrē qd fuisti aspior

Herrn Prof. Johannes Vahlen
in dankbarer Verehrung d. Vf.

ARBETEN UTGIFNA MED UNDERSTÖD AF
VILHELM EKMANS UNIVERSITETSFOND, UPPSALA
8.

COMMENTATIONES TVLLIANAE

DE CICERONIS EPISTVLIS AD BRVTVM AD QVINTVM FRATREM AD ATTICVM QVAESTIONES

SCRIPSIT

H. SJÖGREN

ACCEDVNT DVAE TABVLAE PHOTOTYPICE EXPRESSAE

UPPSALA
ALMQVIST & WIKSELL

LEIPZIG
RUDOLF HAUPT

DIVENDITIONEM CVRANT

ARBETEN UTGIFNA MED UNDERSTÖD AF

VILHELM EKMANS UNIVERSITETSFOND, UPPSALA:

1. *K. Ahlenius,* Ångermanälfvens flodområde. 1903.
2. *S. Lönborg,* Sveriges karta tiden till omkring 1850. 1903.
3. *H. Lundborg,* Die progressive Myoklonus Epilepsie. 1903.
4. *I. Collijn,* Katalog öfver Västerås läroverksbiblioteks inkunabler. 1904. (Kataloge der Inkunabeln der schwed. öffentl. Bibliotheken. 1.)
5. *I. Collijn,* Katalog der Inkunabeln der K. Univ.-Bibl. zu Uppsala. 1907. (Kataloge der Inkunabeln der schwed. öffentl. Bibliotheken. 2.)
6. *E. Staaff,* Étude sur l'ancien dialecte léonais d'après des chartes du XIII^E^ siècle. 1907.
7. *I. Collijn,* Katalog öfver Linköpings Stifts- och läroverksbiblioteks inkunabler. 1909.
   (Kataloge der Inkunabeln der schwed. öffentl. Bibliotheken. 3.)
8. *H. Sjögren,* Commentationes Tullianae. 1910.

Pris kr. 3:50.

Preis Mk. 4:—

Uppsala 1910 Almqvist & Wiksells Boktryckeri-A.-B.